This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

751/z
B928
UC-NRLF
$B 13 668

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.
GIFT OF
Marburg Bros.
Class T 7512
B928



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUOMODO INDUCANTUR ORATIONES DIRECTAE IN ANTIQUORUM ORATIONE SOLUTA

PARS PRIOR

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPPESSENDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS BUENNINGS
ELBERFELDIENSIS

MARPURGI CATTORUM
TYPIS HENRICI BAUER
MDCCCCIII

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Quid maxime peculiare et proprium sit vitae hodiernae si paucis verbis comprehendere studeas, imaginem proponas fluminis, quod rapido cursu praeceps delatum modo hunc modo illum locum adit nec usquam diu moratur.

Deest tempus quiescendi.

Quae enim innata videtur generi humano novarum rerum captatio hodie in summum est aucta et delere conatur omnia, quae adhuc quamvis simplicia tamen sancta erant et pulchra.

Manifestum hoc in arte. Nam nova semper incitamenta, ut artificio aliquo teneatur, mens desiderat humana, cum nequeat in re ulla diu et accurate consistere. Cui desiderio obviam veniunt artifices ipsi, qui neglegi nolunt. Sunt enim inferiores suo saeculo.

Itaque novas semper insolitasque lineas quaerit ars pingendi atque audacius semper componere studet colores. Subtilius semper interpretari conatur animi affectus musica ars atque singulos sonos ita auget et cumulat et inter se certantes facit, ut sensibus ad summam commotionem concitatis resistere nequeat auditor. Poesis vero priscis legibus relaxatis et rythmorum soluta severitate animos delectare studet maiore semper numerorum elegantia et varietate.

Ne oratio quidem soluta similis studii expers est: quid enim aliud ac novos insolitosque sermonis colores appetunt illi, qui Nietzschii vestigiis insistentes genus dicendi imitantur partim poesim partim antiquitatem redolens?

Inter orationis solutae vero genera primum occupant locum quae dicuntur Romanenses fabulae.[1]) Quae omnes

1) Pro hac locutione quod simplex verbum „fabula“ in proximis paginis usurpatur, brevitatis studio tribuas.

Digitized by Google

fere cum ad multitudinis voluptatem compositae sint, prima lex eis esse debet, ut saeculi consuetudinem et studium apte sequantur. Unde efficitur sermonis norma. Admittuntur atque praevalent, quae alacritatem praebent sermoni neque prohibent oculos, quominus cito paginas percurrant, evitatur vero omnis sermonis tarditas, cuius taedeat lectorem, inprimis omnis dictionis iteratio.

Quid ergo mirum his temporibus hoc in litterarum genere ad finem perduci libidinis decursum, qua certam quandam verborum figuram variare student quam maxime? Plurimum scilicet valent in fabula cum arte et opera composita quae ei inseruntur colloquia et orationes, quippe quae, qua indole sint quae agunt personae, quomodo sint inter se coniunctae, quibus animi motibus et agendi causis permoveantur, inprimis tibi ostendant. Nec tamen per se ipsa in fabula stare possunt colloquia: sed coniungenda sunt cum narratione, quam interrumpunt, inductionis aliqua formula. Et has ipsas inducendi formulas tantopere variant nostri temporis scriptores, ut antecellant in hac re omnibus eis, qui antecedebant.

Hoc ut paucis lineis adumbrem et breviter ostendam, cuiusmodi verbis utantur scriptores hodierni, ut illi satisfaciant officio, duas fabulas ex copia litterarum sumo: G. de Ompteda „Die Sünde“ et M. de Eschthrut „Erlkönigin“, illam, ut proferam ea verba quae per omnes fere eius generis fabulas frequentantur, hanc, ut ostendam, quos flores egerit ineptos atque absurdos varietatis in summum aucta cupiditas.[1])

In Omptedae fabula orationes quamquam cumulantur, vix tamen invenies per duas vel tres paginas idem verbum dicendi iteratum. Nulla vox regnat atque praevalet. Ne illud quidem „sagen“, quod inprimis ad inductionem aptum putes, multo saepius adhibetur quam voces „rufen,

1) cf. quae de hac re affert exempla Brunner in commentariolo, cui inscripsit „Vom Romandialog“: Litterarisches Echo III, 24.

Digitized by Google

meinen, fragen, antworten".[1]) Sequuntur multa alia verba, quae aut ipsa verba dicendi sunt sicut „sprechen, machen" — hoc nisi fallor ex francogallica lingua, ubi saepius invenitur, in nostram est illatum —, aut cum praecedente oratione sequentem conectunt sicut „entgegnen, erwidern, einwerfen, dazwischenwerfen, unterbrechen, fortfahren, wiedereinlenken", aut orationis summam in unum verbum comprehendunt sicut „denken, raten, vertrösten", denique id indicare student, quomodo oratio pronuntiata sit sicut „flüstern, herausplatzen, stottern, flöten, lachen". Paulo longius ab hac serie iam abest verbum „schmunzeln" p. 22: nam nil nisi vultum describit, qui orationem prosequitur. Attamen hanc quoque vocem ultimo illi verborum generi attribuas.

Tolerabilis certe haec vox videtur, si cum libero illo atque temerario genere dicendi comparatur, quod cottidie paene in actis diurnis observas: cuius vestigia nonnulla in Eschthrutiae illa fabula deprehendi. Ut enim verbum dicendi vel eius similem vocem saepius iteratum evitet, interponit scriptor orationi verbum, quod gestum oratoris describat. Intelligi quidem possunt voces tales ut „winkte er" vel „nickte er", quippe cum facile cum eis congruant, quae continet oratio, neque deleatur — dummodo brevis oratio sit nec transcedat id tempus, quod gestui convenit — illa ratio quae in universum quidem inter introductorium verbum et ipsam orationem intercedere solet, scilicet ut illud praedicatum sententiae sit, oratio ipsa obiectum: qualia inveniuntur p. 57 „allez vite, chérie" winkte sie vel p. 59 „ah, Alice" nickte sie. Omni vero carent sensu huiusmodi formulae eis locis, quibus orationis longitudo iam non congruit cum gestus tempore p. 97: „Hoheit können vollkommen beruhigt sein" nickte sie, atque nil nisi risum movent locutiones tales ut p. 153 „Das würde im November etwas schwer halten, mein

1) Usurpatur enim verbum „sagen" 11ens in primis 26 paginis: eodem vero numero vox „fragen" exhibetur.

Digitized by Google

gnädiges Fräulein“ zuckte der junge Fürst mit leichter Ironie die Achseln; neque lapsus hic est, qui invito scriptore accidit: nam p. 162 idem verbum in simili est usitatum contextu.

Quo ad finem perducto satis mihi videor dixisse de nostri temporis fabulis.

Dixi antea ad finem quendam nostro saeculo deductum esse huius libidinis decursum.

Id confirmant quae antecedunt tempora. Si enim fabulas Romanenses per haec ultima saecula usque ad septimum decimum, ubi maiorem primum consequuntur numerum, persequeris, ad simpliciorem formam inductionis modum redire elucebit.

Primum recedunt atque tolluntur formulae illae, quae gestus vel actionis utuntur descriptione.[1]) Hae enim in lucem emerserunt apud O. Ludwigium primum, a quo statim admittuntur ea paene licentia qua apud Eschthrutiam. Attamen separatur a posterioribus Ludwigius re aliqua, quae ei favet. Est enim iis usus maxime ut scaenas iocosas diligentius depingant. Qualia invenis in fabula, quae Heitereitei inscribitur, in p. 61: „schlug die Hände zu-

1) Illas nimirum dico formulas, quae interponuntur orationi; nam quod antecedit orationi gestus vel actionis descriptio, ad multo antiquius pertinet tempus: quippe cum tale quid iam apud poetas romanos inveniatur — sicut Prop. V, 7, 12 solum orationi praemittitur „pollicibus fragiles increpuere manus“, ubi, nisi res me decipit, ex metricis causis vel, ut acrius dicam, ex inertia aliqua dicendi originem sumit hic usus: nam inopia aliqua laborare huiusmodi inductionem poetam ipsum non effugit: hoc illinc elucet, quod saepissime his ipsis locis accurata et longa abruptionis formula orationem sequitur.

In nostra lingua quomodo is usus, ut orationi sola gestus descriptio anteponatur, in maius auctus sit, hodie non tracto; scilicet ex dialogi usu haec forma loquendi in alios locos irrepsisse mihi videtur: cf. locos tales ut Engel: Lorenz Stark ed. Reclam p. 32 . . . „Nun“ . . . Er ging mit einem Blick voll Missmuts umher und rieb sich die Stirne. „Ach es ist nichts

Digitized by Google

sammen“: in qua illud quidem appetit scriptor, ut simul gestum describat usque ad ridiculum auctum: iocose enim depingit mulierum contionem atque colloquium. Sic ridiculi causa primum hic usus adhibitus est: postea vero in alios quoque irrupit locos.

In antiquiorem paulo aetatem multifaria nos ducere videtur illorum verborum variatio, quae vocis naturam describunt. Nec sine consilio dico multifariam: nam simplex variatio verbis „rufen, schreien“ expressa iam propria fuerat Homero. Incipit illa inter nostrates ab Wielandio, qui in Abderitis, nondum vero in Agathone[1]) verba adhibet „lispeln, murmeln, anschnarren, flüstern“: unde continuatur hic usus per sequentis temporis fabulas, ex quibus nomino exempli instar: J. G. Mueller „Siegfried von Lindenberg“ et J. J. Engel: Lorenz Stark[2]); praeferunt eum deinde omnibus paene ceteris verbis W. Hauff

---

zu machen“: ubi nil intercedit inter duos dialogi sermones nisi gestus descriptio.

Hinc facile in ipsam quoque orationem inseri poterant huiusmodi formulae quo breviores eo facilius: = „Ach“ rieb er sich die Stirne.

Verum tamen, ut intericerentur orationi inductiones, etiam eae suppeditabant formulae, quae iam in vestustioribus fabulis orationem nonnunquam interrumpunt; cf. ibid. p. 45 „versteht sich“ er lächelte mit seiner gewöhnlichen Freundlichkeit gegen sie hin . . ., quod increscente audacia facile commutatur in „versteht sich“ lächelte er . . .

1) Hoc discrimen illinc ortum esse puto, quod iocose Abderitae scripti sunt, severius vero Agathon. Satirica enim vel hilara opera magis quam severa id contendunt, ut diligenter personarum, de quibus agunt, vultum, gestum, habitum corporis, staturam describant: quod iam ex Xenophontis Symposio et Platonis Euthydemo apparet, si haec scripta cum ceteris Xenophonteis Platonicisque comparantur. De hac re accuratius postea: dicturum enim me esse spero in universum de gestibus illis, qui apud antiquos loquentium prosequuntur orationem.

2) Schiller et Goethe hunc usum neglegunt: quod antiquorum auctoritati tribuo, qui tantum in eos valebant.

Digitized by Google

et inprimis E. T. A. Hoffmann. Attamen maiorem numerum et subtiliores gradus apud Ludwigium demum haec loquendi ratio accipit: qui et novis coloribus multis ornat vocis descriptionem nec respuit insolita verba cf. „zirpen, sprudeln“ etc.: poro utitur his verbis, ut personarum imaginem describat. Sic tussit textor (ed. Bartels p. 4 duobus locis; p. 6 etc.), tremit Sohrammius ille, qui caput semper vibrat — p. 29 —, bullit Saalfeldiensis — p. 33 —, stridet gryllus — p. 35 —. Ergo in hac quoque re a ceteris scriptoribus ita differt Ludwigius, ut certo consilio et opera data inductionis formulis ad augendam operis artem utatur. Attamen hoc singillatim quominus percurram, tempus ipsum me prohibet.

Sic duo variationis genera novissimis temporibus orta esse statuimus.

Restant vero omnia cetera verba, inprimis autem secundum illud verborum genus, quod orationum conexionem respicit sicut „entgegnen“. Et manet hoc quidem totumque proprium iam fuerat antiquiorum temporum: quod idem valet de ipsis verbis dicendi.

Ceterum regnat apud antiquiores maior simplicitas solentque unum verbum prae ceteris frequentare primi fabularum scriptores.

Praefert iam Scheffel in Eckehardo verbum „sprechen“ omnibus ceteris vocibus — usurpatur enim haec vox 69 ^iens^ in 40 primis paginis, contra cetera verba 72 ^iens^; felici nempe hac simplicitate Scheffelius vetustum operis colorem appetit. Favent deinde Goethe et Schiller verbo „sagen“. Dehinc crescit atque augetur huius vocis amor: ad summum pervenit in Simplicissimo, quem perlegi antiquissimum scriptorem: et quidem exhibet Simplicissimus vocem „sagen“ 40 ^iens^ in 25 primis paginis: praeterea 19 ^iens^ verbum „antworten“; viginti quattuor vero locis alia admittuntur verba.

Sed maior haec simplicitas, quae in ipso Simplicissimo multis aliis verbis debilitatur, ne huic quidem toti aetati

Digitized by Google

normae instar fuit. Perlegas enim Ziglerum Kliphausiensem, qui non ita multo post Simplicissimum vixit: nec „sagen“ nec „sprechen“ apud eum regnare videbis nec aliunde elucere simplicitatem nisi ex frequentiore usu verbi „antworten“ — hoc enim verbum 17 iens in 37 primis paginis (ed. F. Bobertag) exhibetur, contra cetera verba 67 iens.

Quae si percenses, varietatem dicendi — quamvis non ita magnam antiquioribus temporibus — tamen de principio nostrae linguae propriam et peculiarem fuisse vides: ex eo scilicet tempore, quo maiorem cepit auctoritatem fabularum genus.

Nec hac via assecuti sumus initium progressionis. Retro spectare debemus.

Quid autem magis nobis cordi esse potest quam eius populi litteras adire, qui originem atque exemplum dedit omni artis pulchritudini, unde ortum ceperunt in omne tempus omnes artis normae et leges? Quid maiorem promittit fructum quam graecas pervestigare litteras nec non romanas quae artis vinculis cum graecis coniunctae sunt? [1])

Desunt vero apud antiquos primis quidem temporibus fabulae, quas Romanenses vocamus ac ne postremis quidem temporibus illam quam apud nos auctoritatem obtinebant nec quod ad rem nec quod ad fabularum numerum pertinet. Attamen compensant fabularum Romanensium defectum duo alia litterarum genera: primum dialogi narrationis instar scripti, qui Platonis temporibus orti multo magis apud antiquos quam apud nos floruerunt; deinde historiarum genus, quod aetate illis antecedit. Nunquam enim nisi paulum se liberavit hoc genus ab epici generis, cuius vestigia sequitur, auctoritate nec unquam nostrae

1) Desiderabis medii aevi scriptores; et vellem sane existeret qui eorum artem demonstraret. Ego vero in ipsa antiquitate me continui et mihi fere satisfeci si quid antiquis placuerit, cum hodiernis comparare poterit doctus lector.

Digitized by Google

historiae severum attigit iudicium. Quo factum est ut excursus, qui lectorem delectent, narrationi inserti sint: qui excursus ad colloquia vel ad sermones saepe deducunt. Porro ea quoque de causa orationes frequenter narrationem interurmpunt, quia uti studet historia ipsis orationibus ad personarum indolem explicandam.

Sic latus patet disputationis campus. Nec desideramus, quod quaerimus. Adest apud antiquos simplicitas maxima. Nam apud omnes orationis solutae scriptores omnibus ceteris inductionis formulis longissime praestant verba ipsa dicendi: quae sunt apud Graecos ἔφη et εἶπεν, apud Atticos etiam formula ἦ δ' ὅς, denique omnes formae a radicibus λεγ- et φα- derivatae: Romani vero primis quidem temporibus — Ciceronis dico — solo „inquit" utuntur [1]), ad quam vocem accedit postea „ait", postremo atque in vulgari sermone verbum „dicit".

Verum tamen singula si percurris tempora singulosque scriptores, generis dicendi formam semper vides variari. Nam modo hoc praevalet verbum dicendi modo illud: alieniores inductionis formulas frequentius nunc, rarius nunc adhibitas vides, nunc aperte se applicantes ad consuetudinem, nunc ab ea omnino alienas.

Accedit quod usus quoque verborum mutatur: nam in maius praecipue augetur per saeculorum spatium semperque crescit usus, quo in orationem interponitur verbum quod ipsam inducit: eademque interpositio modo hanc modo illam accipit formam. Quam totam dicendi mutationem, quae liberam huius, vinctam illius scriptoris artem

1) Valuit nimirum in Ciceronis sermonem Atticorum genus dicendi. Ab ipso enim latino sermone haec magna dicendi simplicitas aliena fuit. Hoc iam ex Catone apparet, qui in libro de agricultura praeter „dicito" c. 140; 142, 2 locutionem admittit „sic verba concipito" c. 139; 141, 4. Porro Salustium conferas Catonis imitatorem. Accedit quod in Plauti Terentiique comoediis inductiones magnopere variantur cf. Ter. Andr. v. 285 „incipit"; ibid. v. 57 „rogitabam"; v. 83 „cogitabam"; v. 634 „oratio est"; v. 111 „diceret".

Digitized by Google

reddit, eo magis operae pretium erit inquirere, quia ad mutationis causas hac via deducemur; nam cognoscemus mutuam in litteris graecis romanisque imitationem valuisse, quae illum ad hunc, hunc ad illum scriptorem admovet vel alium ab alio seiungit.

Nec non hoc memineris: dispares esse aliquo modo nostras inductiones ab antiquorum formulis; nam apud nos plerumque quidem verbum solum inductionem efficit: contra plures voces apud antiquos accedunt quae nusquam vel raro in nostra lingua inveniuntur. Qualia sunt inprimis ὅτι quod dicitur recitativum, pronomen deinde demonstrativum — τοιάδε etc. — quod orationem sequentem indicat, denique nomen personae, ad quam spectat oratio: quae omnia cum tempore vel stili genere mutato aut crescant aut minuantur et nunc hac nunc diversa ratione usurpentur, causae hic quoque perquirendae sunt.

Nec tamen solam consuetudinis mutationem et progressionem delineabo, sed etiam unus quisque scriptorum quamnam his in rebus praebeat imaginem quasque maxime leges secutus sit congeram. Deinde demonstrandum erit, quod discrimen intercesserit et inter graecum atque latinum et inter antiquum ac nostri temporis genus dicendi.

Sic lineis nonnullis propositum adumbravi.

Restat ut pauca verba proferam de eis viris doctis, qui mihi antecesserunt hanc vel similem rem pertractando.[1]) Scilicet neminem inveniebam, qui de eadem re disputasset; sunt tamen, qui hanc vel illam quaestionis partem aggressi fuerint.

Disseruit enim de inversionis usu H. Schoene in Museo Rhenano t. LIV p. 633; primum intentus fuisse videtur in eundem usum M. Petschenig: Über eine eigen-

1) Artem ipsam huius inductionis tangit saltem Cicero pro Caelio 15, ubi illud est „inducere"; legitur „introducere" ad Att. 13, 19; Quintil. 9, 2, 30.

Digitized by Google

tümliche Wortstellung bei inquit: Archiv für lateinische Lexikographie V p. 576.

Porro agit de formula ἦ δ' ὅς A. Ludwich: die Formel ἦ δ' ὅς in Museo Rhenano XLI p. 437—453, de ὅτι denique recitativo C. H. Spicker: Gebrauch von ὅτι oder ὡς in direkten Anführungen: Philological Association Baltimore 3. Nov. 1882.

Accedit J. Vahlen, qui paucissima adnotat ad „inquit" verbi usum in Indice lect. Berol. aestiv. 1902 p. 16.

Praeterea nihil inveni: quamquam perlegi Bursiani Annales sub „Ars grammatica", Ed. Norden: Antike Kunstprosa, Rud. Hirzel: Der Dialog, W. Schmid: Atticismus, similia.

Iam ad primam quaestionis partem accedo, quae verborum delectum contineat eorumque usum. Adiungantur nonnulla de epistularum et inscriptionum inductione, porro pauca quidem verba de interpositionis rationibus: primum de inversione, deinde de inductionis subiecto, quomodo id collocetur, ubi una cum verbo interponitur; sequatur de ceteris inductionis partibus disputatio.[1])

Primum hoc mirum videtur, quod in Graecorum oratione soluta observamus: nam retro eius progressus se convertere videtur, quippe quae a maiore varietate ad

1) Quae hic promisi in hac quidem quae prelo datur dissertatione non omnia absolvi; spero autem fore ut alio loco totum meum laborem tradere possim lectoribus.

Digitized by Google

simplicitatem, a copia maiore ad inopiam paene lectorem perducat.

Nec tamen hoc caret gravibus causis. Valuit nempe poeticum genus dicendi in orationem solutam, quae initium cepit a logographis. Nec aliter nisi paulatim sermoni contigit, ut expers fieret poeticae auctoritatis stilumque consequeretur sui tantum proprium.

Et hunc progressum, hunc orationis solutae ortum ut intellegamus et recte pensemus, ad primordia litterarum regredi opus videtur nec conatu indignum est et epici et lyrici et tragici litterarum generis sermonem breviter percensere.

Homeri in inductoriis formulis genus dicendi ut est singulare et toti eius indoli accommodatum, ita longe recedit a norma severae simplicitatis.

Quam enim semper admiramur in eo ingenii vim, quae manifestius paene quam ulla pictura homines resque explicat, ex inductionis quoque formulis elucet. Nec enim satis habet Homerus simplex verbum dicendi orationi praeponere, sed certum illum statum describere conatur, quem praebet is, qui loquitur. Quo fit, ut locutiones tales ut *προσέειπεν, μετέειπεν, ἀντίον* quoque *ηὔδα* saepissime inveniantur, rarissime vero simplex verbum nulla adiuncta praepositione: quale quidem nunquam in primis quinque Iliadis libris, ut his pro exemplo utar, orationem inducit nisi uno loco V 600 — nonnullis tantum exceptis soliloquiis: cf. Iliad. II 271 *ὧδε δέ τις εἶπεσκεν* III 319, 297, IV 81.

In aliis quoque formulis idem studium apparet; describit scilicet Homerus et appetit perspicuitatem; nam frequenter in Iliade et Odyssea ea occurrunt verba, quae clamorem sive vocem oratoris describunt sicut *μακρὸν ἄϋσεν* Il. III 81; V 283 etc.; *ἐλίσσετο* I 15 etc.; *ἠρήσατο* I 351; *εὔχετο* I 450; *ἐπεστενάχοντο* III 154; *ὤμωξεν* III 364 etc.

Quae omnia verba cum saepius usurpentur, iam

Digitized by Google

agnoscis loquendi varietatem Homericam. Et re vera poetam hanc varietatem appetisse aliunde quoque elucet.

Perspicuum enim primum est nunquam fere duas orationes, quae statim sese sequuntur, eandem prae se ferre inductionis formulam: hoc enim ut ter modo fit in primis quinque libris I 544—551; V 375—381; V 427 — 440, ita paulo frequentius tantum in recentioribus partibus Homericorum carminum, sicut Odyss. I 388, 399, 412 tres deinceps orationes iisdem verbis *ἀντίον ηὔδα*[1]) inducuntur.

Porro nullum verbum prae ceteris praedilectum videmus. Nam aeque fere verborum *εἶπεν, ἔφη, ηὔδα* composita adhibentur[2]), nisi quod vox *εἶπεν* in Iliade, vox *ηὔδα* vero in Odyssea paulum alteri antecedit; verbum denique *ἔφη* in utroque opere frequentiae gradum occupat paulo humiliorem. Accedunt has ad formulas verba ipsa quoque saepius usurpata *φωνεῖν, ἐρέσθαι, ἀμείβεσθαι, ἀγορεύειν*; porro illorum verborum magna copia, quae vocem ipsam describunt quorumque nonnulla iam nominavi; praeterea illae formulae, quae ope substantivorum orationem inducunt sicut *μύθων ἦρχε* II 433, *ὤτρυνεν ἐπέεσσιν* III 249; *λάζεσθαι μῦθον* IV 357, denique eae locutiones, quae illud spectant, quod contineat oratio, sicut V 358 *χρυσάμπυκας ἧτεεν ἵππους*.

Quae omnes formulae quamquam libere ex parte quidem formatae sunt, tamen omnes illud pro lege habent, ut aliqua ratione dicendi notionem significent. Hoc non fit in locis talibus ut Il. X 476 *τὸν δ' Ὀδυσεὺς προπάροιθεν ἰδὼν Διομήδει δεῖξεν*, ubi descriptio gestus, qui prosequitur orationem, compensare debet apertae inductionis defectum vel Il. XII 342 *αἶψα δ' ἐπ' Αἴαντα προΐει κήρυκα Θοώτην*, ubi

1) Primi quattuor Odysseae libri magno in universum huius verbi student amori.

2) Haec quomodo se habeant parva demonstret tabella:

Usurpantur in Il. I—VI; in Od. I—IX		
εἶπεν	23 iens	32 iens
ηὔδα	19 iens	43 iens
ἔφη	17 iens	25 iens

Digitized by Google

deest quidem notîo dicendi, indicatur vero, quid sibi velit orator.

Sic Homerus transcedit terminos simplicis dictionis: haec enim semper illud appetit, ut iniecto verbo aliquo dicendi orationis initium ab ipsa narratione manifeste separetur.

Attamen alia re ad simplicitatem magis se applicat. Dico illas inductiones, quae geminatam continent dicendi notionem. Hoc enim inductionis genus quin referat antiquissimam formam loquendi, dubium esse non potest.

Quod ex re ipsa primum apparet. Fortius enim quam nobis antiquioris certe temporis scriptoribus vel poetis quippe rudioribus narratio interrupta esse videbatur, ubi oratio inmissa initium cepit. Qua re facile eo poterant perduci, ut quam manifestissima inductione patefacerent personam quae verba faceret nunc mutari.

Accedit quod litterarum exempla inveniuntur, quae probent hoc argumentum: litterarum modo inspicias antiquissima genera vel eas, quae popularem reddunt loquendi consuetudinem: Herodoti dico vel veteris novique Testamenti libros: talia semper invenies. Item nostri quoque sermonis primordia huiusmodi habent inductiones: qualem exhibet Simplicissimus p. 69 (ed. Reclam) „ich schrie ihm überlaut zu und sagte“ et Victor Scheffel, quem veterem sermonem opera data imitari supra iam vidimus, in Eckehardo p. 20: „erhob die Stimme und sprach“.

Nec tamen agnoscitur his quos exscripsi locis primitiva loquendi forma, quae synonyma tantum cumulare solet, cf. vulgaris sermonis inductionem *εἶπε λέγων* Luc. evang. VII 39, XII 16 etc.

Cuius sermonis vestigia nonnulla agnoscimus etiam in Homero: cf. illa *ἔπος τ᾽ἔφατ᾽ἐκ τ᾽ὀνόμαζεν* vel *ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν*, quae quo magis formulae instar adhibentur, eo magis antiquissimum usum prodere videntur.

Digitized by Google

Sequitur forma altera loquendi: quae eo certe tempore orta est, quo animum attendere coepit poeta in orationis vocem et orationum conexum, nec tamen satis erat audax, ut sola haec verba, quae vocem describunt vel conexum efficiunt, praeponeret orationibus. Coniungitur ergo cum ipso verbo, quod orationem inducit, aut verbum alterum finitum aut participium.

Qua forma loquendi saepe utitur Homerus et multo saepius quam forma illa, quam primo loco memoravi: duobus verbis *ἐξείρετο καὶ προσέειπεν* Il. V 756, participio ad verbum adiuncto *ἀμειβόμενος προσέφη* I 84 etc.; *λισσομένη προσέειπεν* I 502; *εὐχόμενος μετέφη* II 411; *κέκλετ' ἄϋσας* IV 508 etc.

Quae cum ita sint, elucet ex Homero sermonis imago talis quae et reservat priscas locutiones et copiam quandam prae se fert atque varietatem dicendi, qualem efficere potest stilus tantum arte excultus; denique eo audaciae et libertatis procedit, quo nunquam antiquorum oratio soluta.

Proximis saeculis lyricum nascitur genus.

Quod duplicem attulit inducendi mutationem.

Primum enim minus interest his poetis, ut statum illum quo agit orator, manifesto expingant; deinde liberatae sunt inductiones ab ea lege poetica, quae valuit apud Homerum, ut unum et totum versum complerent; ergo nihil obfuit, quominus brevioribus formulis uterentur lyrici poetae. Propterea desunt illa verba cum praepositionibus composita: et prorsus quidem exstirpantur ex *μετα-* incipientia, maiore quidem ex parte, quae ex *προς-* incipiunt: scilicet haec ultima desunt in lyricorum fragmentis, bis modo ea habet Pindarus Pyth. IV 171 et IX 29: *προσέννεπε*, paulo saepius scilicet ter Bacchylides, quem non una in re Homerum respicere postea videbimus, in *προσεῖπεν* V 78 et *προσέφα* III 93 et V 171.

Praeterea minuitur Homerica varietas in verborum

Digitized by Google

delectu. Nec hoc mirum. Desunt enim apud lyricos, quae variationis studio faveant: nam nunquam fere orationes iniectae statim sese excipiunt, sed brevia tantum admittuntur dicta vel singulae orationes in breves inseruntur narrationes. Sic factum est, ut apud omnes lyricos principalem locum occupet verbum εἶπεν [1]).

Cetera vero rarescunt dicendi vocabula; nam nunquam omnino Pindarus verbum ἔφη habet, semel Simonides frgm. 98 — Bergk. ed. min. — et Theognis v. 921: quem angustum usus terminum Bacchylides solus transcedit, qui ἔφη tribus locis adhibet frgm. 25; III 93; V 171 [2]). Neque latius patet usus formarum a voce αὐδα- derivatarum: Pind. Isthm. VI 42 αὔδασε et Nem. X 80 ἐξαύδασε; evanuerunt omnino liberiores eae inductiones, quae nil nisi gestum orationi praeponunt.

Sed haec si excipis, manifesto apud lyricos perlucere vides epici generis dictionem. Quamquam minus adsunt duplices illae locutiones, quibus versum totum complere solebat Homerus. Attamen invenimus locutionem hanc: εἶπε φωνήσας Pind. Isthm. VI 52; Antim. frgm. 3; item ἀμειβόμενος ἔφα Bacch. V 160. Porro saepe inductio eis fit verbis, quae vocem describunt: φθέγξατο Bacchyl. XIV 49; ἀντεφθέγξατο Pind. Ol. VI 105; φώνασε Pind. Ol. XIII 95; Nem. X 76; ἄειδε Sol. frgm. 19, 3, qualia etiam Homerus amaverat.

Haec vincula lyricorum consuetudinem cum Homerica coniungunt. [3])

Verum tamen totum si spectas lyricum genus dicendi, maius ei proprium vides brevitatis et simplicitatis studium.

---

1) Hoc ostendunt pauci numeri: inductiones adsunt in fragm. 22, in Pindaro 18, in Bacchyl. 11; contra verbum εἶπεν exhibetur in fragm. 8 iens, in Pindaro 7 iens, in Bacchyl. quater.

2) Hac quoque re ad Homerum appropinquatum vides Bacchylidem.

3) Conferas etiam Pindari ἀμείβεσθαι Pyth. IV 102, IX 70; et ἀγορεύειν Pyth. IV 270.

Digitized by Google

Id studium magis etiam clarescit observato tragoediae sermone. Hic enim duae illae differentiae, quibus ab epico genere separabatur lyricum, in tantum auctae sunt, ut magnorum tragicorum postremus Euripides primum quidem omnes contemnat compositiones vocis *προς* et verbi *εἶπεν* uno excepto loco Helen. 1541, deinde praeferat omnibus ceteris verbis illa, quae a stirpe *λεγ-* vel *ἐπ-* derivata sunt — *εἶπεν* 15 lens *ἔλεξε* 8 lens —: contra verbum *ἔφη* semel modo usurpatur Iphig. 1590, tribus locis verbum *αὐδᾶν* etc. Andr. 1091; Phoen. 1249; Cycl. 501.

Porro illo quoque Euripides auget progressum eum, qui ob Homero ad lyricos processit, quod prorsus omittit duplicem inductionem: nec enim pertinent huc ii loci, ubi neutrum verborum finitorum notionem dicendi exprimit Heracl. fur. 981 *ἠλάλαξεν κἀπεκόμπασε τάδε*, quae compositio nullo modo priscam reddit consuetudinem; immo eo consilio videtur adhibita, ut simul vocem expingat loquentis animique motum. Paululo plus memoriam revocant veteris copiae dicendi formulae tales ut *λέγουσα τοιούσδε λόγους* Andr. 931 vel *τοιάδε ἐννέπειν ἔπη* Electr. 884.

Ceterum Euripideus sermo lyricis similis est hoc tantum excepto, quod saepius et numero et varietate ea verba admittuntur, quae indicare student orationis vocem: *βοᾷ* Jo. 1210 etc.; *αἰτεῖται* Jo. 28; *ἔκλαγξε* Phoen. 1144; *ἀϋτεῖ* Electr. 799; *ἱκετεύουσι* Iphig. Aul. 462 et magna aliorum verborum multitudo sicut *ηὔξατο* 5 lens, *ᾤμωξεν, ἔκλαγον, στένουσα* etc.

Ergo in tragoedia quoque magna mansit varietas.

Quam totam ut deleret, orationi solutae est relictum, quae inde ab Herodoto principe studium illud simplicitatis ad maiorem perduxit auctoritatem et vim.

Sic transitus datur ex lyrico et tragico genere ad orationem solutam: accedunt enim argumenta, quae probent hunc conexum.

Digitized by Google

Attamen gravius est et notabilius, quod statim ab initio orationis solutae genus dicendi a poetico segregatur. Nam simplicitas illa apud lyricos ipsa generis forma qua utuntur effecta erat; ei opposita est historici operis natura, in quo ut in epico maior exspectanda erat varietas: e contrario apud historicum multo severior regnat simplicitas. Nam magis quam usquam adhuc vidimus apud Herodotum omnibus ceteris verbis praevalent a voce *λεγ-* et *ἐπ-* derivata. Inducit enim orationem verbum *εἶπεν* et *εἶπαν* 85 lens, infinitivus *εἰπεῖν* 28 lens, praesens *λέγει* 36 lens, aoristus *ἔλεξε* 15 lens, imperfectum *ἔλεγε* 66 lens, infinitivus *λέγειν* 5 lens, participium *εἴπας* ter, participium denique *λέγων* 53 lens. Magna quidem haec est series locorum; supersunt tamen quae respicere debeamus.

Agendum est de ratione, qua ab Herodoto participium *λέγων* adhibetur: qua memorata simul ad aliam rem accedo, quae orationem solutam a poesi separat.

Magnam in poesi videbas verborum copiam ad inductionem usurpatam. Quae omnia hic rarescunt, ipsas voces dicendi modo excipiamus. Nam primum omnia illa verba locum non habent, quae oratoris vocem depingunt; alacrior enim est imaginatio poetica idque curat, ut concitatius loquantur personae; magis sobria est in prosa oratione rerum et hominum perceptio. Id ipsum elucet ex eis formulis, quas saepius admittit Herodotus. Illas dico, quae vel summam enarrant orationis sicut *παραίνεε* IX 17; *νουθετῆσαι* III 36; *παρεγύμνου πάντα τὸν λόγον* I 126 vel circumscribunt actum dicendi pluribus verbis sicut *λόγων ἐκφαίνει* II 115; *λόγου ἔχεσθαι* VII 5.

Verum haec verba quamquam frequenter adsunt — 35 lens, — tamen omni fere inducendi auctoritate carent, quia semper fere iis adiectum est participium *λέγων* aut — quamvis rarius — substantivum aliquod orationem praenuntians sicut *ἔπεα* vel *λόγος*.

His vinculis omnes fere eae inductiones continentur,

Digitized by Google

in quibus ipsum verbum finitum λέγειν non occurrit. Unde excipiuntur sola verba interrogandi et respondendi. Sed haec quoque saepe coniunguntur cum participio λέγων sicut ἀμείβεσθαι 5 lens — in summa usitatur 47 lens —, ὑποκρίνεσθαι semel — in summa 7 lens —, ἐρωτᾶν ter — in summa 5 lens; ἐρέσθαι solum omni est liberum adiunctione.[1]) Ceterum etiam ad ἔφη additur λέγων: 5 lens — certis scilicet tantum locis, quorum de natura postea accuratius dicturus sum — praeterea ad vocem χρᾷ I 62; VII 220 et ἠγόρευε I 60, IX 98.

Et haec si reputas et si illud quoque addis, quod ad istiusmodi verba, de quibus supra dixi, participium 18 lens adiunctum est nec omittis, quod inter quindecim locos qui supersunt decem loci substantivum ἔπεα vel λόγος habent sicut προισχόμενος ἔπεα τάδε III 137 vel προσέφερε λόγον τοιόνδε III 134, V 30, VIII 100, perparvum vides esse numerum illarum vocum ipsam orationem inducentium, quae ad quaestionem nostram pertinent.

Ex quibus unum iam perspicuum: contendere id Herodotum, ut inductorio verbo manifeste praeposito orationis initium aperte separetur a narrationis aequabili cursu: unde orta est maior quam in carminibus orationis solutae gravitas cum tarditate coniuncta neque minus ex unius verbi λέγειν amore maior dicendi siccitas minore adhibita arte.

Ergo a poetica arte abhorrens ad priscum et simplicem gradum Herodoti genus dicendi recessit.

Sed hoc non valet in universum; aliam rem spectemus: huius quoque generis dicendi mutationem percipiemus. Inhaeret enim nonnullis verbis maius subtiliusque acumen aliquod sive ad notionem respicimus sive ad iuncturam.

Sic multas formas a λεγ- vel ἐπ- derivatas antea quidem enumeravi nullo addito discrimine: discrimen tamen

1) De discrimine quod intercedit inter ἐρωτᾶν et ἐρέσθαι cf. p. 29.

Digitized by Google

facile invenitur. Temporis imperfecti formas dico. Quod imperfectum cum actionem inprimis indicet per longius spatium temporis perductam, eos facile occupat locos, in quibus vel longa et gravis inducitur oratio vel a pluribus pronuntiata. [1])

Nec tamen severe ubique observata est haec imperfecti ἔλεγεν ab aoristo εἶπεν [2]) distinctio; at adsunt subtilioris stili primordia; usurpatur enim pluralis ἔλεγον 12 lens — contra in summa imperfectum 66 lens, pluralis vero εἶπον 15 lens — in summa aoristus 85 lens. Sed hoc casu accidere potuit. Gravius alterum, quod longis praecipue orationibus anteponi incipit imperfectum. Quamquam separantur hac in re primi atque postremi libri. In primo enim Herodoti libro non modo permiscetur imperfecti et aoristi usus, sed et plerumque ante breves orationes vox ἔλεγεν adhibetur [3]) et uno quidem loco I 36 ante colloquii sermonem. Qui prorsus exstirpatur usus in ceteris libris, in

1) Huiusmodi orationes inprimis longiores eo minus inveniuntur, quo magis vitam sermonemque cottidianum vel naturalem spectat scriptor. Nam vitae veritati contrariae sunt, quia nunquam plures simul per longius tempus loquuntur. Ergo evitabit eas unusquisque diligentior scriptor, qui vitae usum respicit (cf. Xenophontem, Platonem, inprimis Tacitum). Tolerari contra possunt in obliqua oratione prolatae: haec enim non ipsa verba se tradere simulat sed potius totum orationis argumentum.

Quae duo orationis genera — oratio directa vel obliqua — quomodo aut adhibita sint aut evitata per antiquas litteras persequi operae pretium est.

2) Mirum hoc primum videtur, quod aoristi ἔλεξεν usus ab aoristo εἶπεν abhorrens ad imperfectum ἔλεγε propius accedit: semper enim ab Herodoto ante longiores orationes usurpatur ἔλεξε III 83; 85; 142; IV 97; V 92; VI 86; 130; VII 13; VIII 101; IX 87; item saepe pluralis exhibetur: quattuor locis.

3) Incipiunt enim in primo libro ab imperfecto breves orationes c. 8, 11, 36, 108, 110, 121, longiores c. 124, 206, 212; contra aoristo εἶπεν breves orationes inducuntur c. 32, 85, 86, 88, 90, 91. 92, 110, longiores c. 8, 30, 31, 82, 68, 87, 89, 91, 111; unde hoc elucet: auctum esse sub finem libri distinctionis studium.

Digitized by Google

quibus, ut quinti libri exemplo utar, imperfecto longae semper orationes inducuntur V 20, 23, 24, 49, 98, contra aoristo εἶπεν semper breviores V 18, 19, 33, 50, 72, 80, 111: duobus tantum exceptis locis cap. 100 et 111, qui facilem excusationem habent; nam in iis colloquii sermonem vox εἶπεν inducit: qua in re forma ἔλεγεν ea certe de causa evitatur, quia in colloquiis deesse solet verae orationis libertas et pondus.

Iam vero conici potest, unde initium ceperit severior haec distinctio. Iam sub initium operis Herodotei mutationem fieri dixi; nam primi iam libri finem propensum videmus ad severiorem usum — cf. p. 23 adn. 3 —; item secundus uno, qui hoc pertinet, loco II 181 ante brevem orationem vocem εἶπεν tolerat, in tertio vero libro plane secernuntur duae illae formae et severior usus strenue observatur, quo vocem εἶπεν semper brevibus orationibus — III 3, 29, 34 —, verbum vero ἔλεγεν longis Herodotus anteponit III 65, 122, 127, unde duae tantum excipiuntur orationes breves imperfecto inductae III 71 et 119, quarum tamen altera suam gravitatem habet propter ipsum argumentum, altera illo, quod per nuntium perlata est. Et simili modo in posteris quoque libris exceptiones referri possunt ad causas idoneas.[1]) Quae cum ita sint, facile hinc elucet, cur primi libri initium plane differat; haec operis pars prius nimirum scripta erat et antea quam attici sermonis usum cognoverat

---

1) Pauci tantum loci in l. VI — IX a regula excipiuntur: tres loci in vocis εἶπεν usu, quinque in verbo ἔλεγεν — contra usurpatur in summa εἶπεν 25 iens, ἔλεγεν 28 iens. Attamen verbi εἶπεν usus duobus locis qui sunt VI 28, 209 inde intelligitur, quod ibi agitur de colloquii sermonibus: tertium vero locum VI 29 illud excusat, quod verbum ἔλεγεν iam in antecedentis orationis conclusione exhibetur. Restant illi loci, quibus vox ἔλεγεν verbi εἶπεν locum occupat: verum tamen compensatur his locis orationis longitudo maiore eius gravitate: nam uno excepto loco VII 38 eiusmodi orationes sunt, quae habeantur a praeconibus in contione VIII 24 vel a nuntiis VIII 114.

Digitized by Google

Herodotus. Nam illa formarum εἶπεν et ἔλεγεν distinctio attica est;[1]) cf. infra p. 31.

Ergo certam quandam formam poetis tum ignotam ad severiorem usum Herodotus perduxit.

Cuius simile quid in alia re invenio.

Verbum enim ἀγορεύειν apud Homerum et sequentis temporis poetas nullo modo a ceteris verbis dicendi distinguebatur. Id mutatur in Herodoto, ubi certis tantum eis locis admissum est, quibus servatur aliquo modo verbi notio primitiva „in contione loqui", quae metricis certe de causis deleta erat in poesi. Nam quamquam ipsam hanc notionem unus tantum habet locus I 60, ubi orationem verbum ἀγορεύειν inducit a legatis ad Athenienses habitam, tamen similis sensus ibi quoque apparet cf. III 119; VI 97; VIII 29, ubi oratio non ab eo ipso, a quo ortum capit, pronuntiatur, sed perfertur per nuntium III 119 vel praeconem VI 97. VIII 29. Agitur enim his quoque locis de orationibus nec colloquii instar nec coram paucis auditoribus pronuntiatis sed cum actione quadam solemni coniunctis: quocum cohaeret certe quod alio loco ἀγορεύειν etiam oraculum aliquod inducit metrice scriptum V 92 β, ubi facile secum fert ipsa recitatio solemnem vocis sublimitatem. Ergo ne hic quidem locus a norma aberrat qua vox ἀγορεύειν eas orationes inchoat, quae solemniore indole ceteris antecellunt.

Videmus sic Herodotum dum sermonis pedestris libertate utitur ipsas inductiones orationum generi et formae accommodare.

Accedit aliud quo demonstretur severius et acrius Herodotum verba distinxisse quam poetas. Pertinet id quidem ad compositionem, non ad electionem verborum et maxime ex verbo ἔφη apparet. Collocationem enim

1) Sunt nimirum qui negent dialectum atticam ullam in Herodoto habuisse auctoritatem; attamen conferas p. 29.

Digitized by Google

si respicis huius vocis, manifesto distinctam eam vides a ceteris verbis omnibus; haec enim modo statim antecedunt orationi modo seiuncta sunt ab eius initio: aut interposito subiecto: *ἔλεγεν ἡ γυνή* sicut I 11, 30, 38, 39 aut interposito personali obiecto, ad quod spectat oratio, *ἔλεγε πρὸς τὸν Γύγην* I 8, 36 aut utraque voce *λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ νεηνίης* I 37 aut aliis vocabulis *τάδε* etc. I 8, 11. Vox vero quae est *ἔφη* uno tantum excepto loco I 128 non modo semper statim antecedit exordienti orationi I 11, 115; VII 101, 103, sed etiam si non antecedit semper ipsi interponitur — quod omnino novum fuit. Nec tamen quibusvis locis interponitur sed paucis illis, quibus aut transit obliqua oratio in directam I 118, 125, III 136, IX 2 aut denuo incipit oratio, quae paucis verbis ante intermissa erat.

Hunc singularem usum ut intellegamus eiusque causas perspiciamus, ceterum vocis usum spectemus oportet. Memineris, quantopere per saeculorum decursum oblitterata sit vox *ἔφη*, quamquam apud Homerum saepissime legebatur: scilicet Euripides uno tantum loco eam habebat. Huius taedii causas mihi videor cognoscere, ubi ad illum usum attendo, qui inprimis apud Herodotum verbi *ἔφη* proprius est. Multo enim plus quam orationem directam illud *ἔφη* obliquam inducit, quippe quae semper fere ab hac voce dependere soleat. Quin etiam ubi alia quaecumque verba dicendi orationi obliquae praemittuntur vel intercalantur, adici eis solet apud Herodotum participium *φάς*[1]): nec vero versa vice participium *λέγων* unquam ad vocem *ἔφη* additur nisi illis locis, quibus hac participii additione id studet scriptor, ut sententiam, quae ab *ἔφη λέγων* dependet, partem amplioris orationis esse ostendat: sive verba nonnulla sicut VI 68 *ἐν τοῖσι νείκεσι* re vera ampliorem fuisse indicant quam refertur a scriptore

1) Pauca sufficiant huius rei exempla: additur *φάς* ad *ἔλεγε* I 122; IV 46; V 18; ad *ἔλεξέ σφι λόγον* I 141; ad *ἔλεξε* VI 82; ad *εἶπε* VI 67; ad *χρᾷ* V 67; ad *ἀμείβετο* V 39; ad *ἀπώμοσε* VI 65 etc.

Digitized by Google

sive iam antecedit orationis prima pars sicut II 172, V 36, ubi participium λέγων notionem assequitur: „in oratione sua." Sic ne hic quidem unquam oratio a voce λέγειν dependet.

Percipitur nunc, unde orta sit singularis illa collocatio: ut enim obliquae orationi proxime antecedit verbum ἔφη vel potius plurimis quidem locis ei interponitur, sic etiam, ubi ad directae orationis inductionem adhibetur, illud maxime curae habet scriptor, ut quam artissime cum ea sit conexum verbum ἔφη.[1]) Adde quod iis locis, ubi obliqua oratio in directam transit, verbum ipsum dicendi praemitti non potuit; adde quod qua fuit simplicitate Herodotus in compositione sententiarum, ne satis quidem ab eo separatur obliquae et directae orationis natura:[2]) quid mirum quod iisdem locis regnare videmus voculae ἔφη interpositionem? quid mirum idem etiam ibi inveniri ubi oratio intermissa denuo incipit? Valet in his analogia, valet natura.

Attamen his omnibus locis, quibus interponitur ἔφη, accedit participium λέγων. Quo modo hoc explicandum est? Hicine quoque petenda est causa ex analogia illa, quam praebere videbamus orationis obliquae usum? An potius directae orationis initium distincte indicare vult

1) Quae hic intercedit ratio inter orationem directam atque obliquam, alibi quoque invenitur. Sic ad orationem obliquam inducendam verbum ἔλεξεν iam in primo Herodoti libro adhibetur, ad directam postea demum; porro ut exemplum addam ex posteriore aetate, verbum ἔφησεν orationem obliquam inducit in Polybio V 42, directam contra demum in Diodoro. Quae omnia si quis accuratius tractabit, multa certe huiusmodi invenientur exempla. Quod alicuius momenti erit. Intellegetur enim cautiores fuisse scriptores in oratione directa inducenda quam in oratione obliqua. Praeterea illud probatur, quod saepe iam statuimus: nec temere nec fortuito orationem induxisse scriptores, sed certum ubicumque adesse progressum certis normis circumscriptum.

2) Hoc argumentis probabo, cum de inductionis omissione dicturus sum.

Digitized by Google

scriptor eo ipso addito verbo, quod inprimis orationis directae inductionis proprium est? Cum certum non adsit indicium, utri rationi plus auctoritatis tribuam, in medio hoc relinquam; fortasse altera alteram adiuvat, verisimilior vero quippe simplicior mihi quidem videtur prior explicatio.

Saepe iam vidimus ab usu poetico discrepare orationem solutam. In eo tamen continuitas fuit, quod uno excepto imperfecto ἔλεγεν vetera verba et formae ex poesi iam nota etiam hoc quinto saeculo retinentur.

Quod tamen ipsum quoque mutatur in Herodoto. Nam Homerica verba nonnulla apud eum exstirpata vidimus; sed etiam nova quaedam apud eum in usum veniunt.

Brevis ero eas voces enumerans quarum rarior usus fuit. Plurimum se appropinquat poetico sermoni verbum ἠνδάξατο V 31; non poetica sunt συνεβούλευσε I 71; ὀνομάσαι I 86; ὀνειδίσασαν VIII 84; προισχόμενον VI 86; contra ἀντιπέμπει III 68 rursus Homericum. Verum tamen frangit haec quidem vox ἀντιπέμπει characterem Herodoteum cautum illum et consideratum; addendum erat λέγων sicut scriptor ad ipsa quoque respondendi et interrogandi verba participium λέγων adicit: ut vix audeam magnam habere hoc loco fidem codicibus; accedit enim, quod II 114 ad idem ἀντιπέμπει simili ratione usurpatum revera participium adstructum est λέγοντα τάδε.

Notabilior iam est usus verbi χρᾶν, quod duodecies oraculum aliquod inducit: memorabilis ea de causa, quia hoc quoque verbum illud confirmat Herodoti studium, quo accommodare conatur inductorium verbum peculiari orationis naturae.

Sed maioris momenti duo alia sunt verba, quae variationem praebent, ὑποκρίνεσθαι et ἐρωτᾶν: ὑποκρίνεσθαι sexies, ἐρωτᾶν quinquies leguntur. Praeterea Herodotus ex Homero vocabula ἀμείβεσθαι et ἐρέσθαι retinuit nimirum

Digitized by Google

et ita quidem, ut multo frequentius hoc exhiberet quam illud.

Itaque quaestio nunc exsistit, unde sumpserit Herodotus haec verba Homero ignota.

Diversus est quodam modo horum verborum usus. Semper enim fere ad vocem ἐρωτᾶν participium λέγων esse adiectum iam supra in oculos occurrit; contra hic usus a verbo ὑποκρίνεσθαι totus fere alienus. Unde illud efficitur: depromptam esse vocem ἐρωτᾶν ex regione quadam dicendi, cui inprimis propria fuerit participii additio,[1]) aliunde vero verbum ὑποκρίνεσθαι. Sed etiam plura observo. Usitatur enim verbum ἐρωτᾶν in primo praecipue libro: tribus locis — in summa quinquies — I 11, 88, 159, qui ipse liber primus vocem ὑποκρίνεσθαι plane respuit — scilicet eius loco exhibet ἀμείβεσθαι. — Simile quid de primo libro, quod ad imperfecti ἔλεγεν severiorem usum pertinebat, supra p. 24 demonstravimus. Accedit, quod, sicut atticum sermonem hic usus imperfecti respicit, ita etiam usitatissimum fuit apud ipsos Atticos verbum ἀποκρίνεσθαι, quod ab eadem voce qua ὑποκρίνεσθαι derivatum est. Quid ergo verisimilius quam vocis ὑποκρίνεσθαι usum Herodoteum ipsum quoque tribuendum esse attici sermonis sive analogiae sive auctoritati? Quae coniectura eo confirmatur quod adhuc non attigi. Agitur de forma ἔλεξε; quae in tertio primum deprehenditur libro, non antea; ad hoc si addis, quod primus, qui omnino hac utitur voce, Euripides fuit atticus poeta, magis magisque vides res ad certum quendam finem deduci, quarum haec est summa: auctoritatem attici sermonis sequi posteriores Herodoti libros, nondum vero primum.

Itaque cohaeret quidem Herodotus cum poetico sermone ut verborum delectu ita variationis studio, maiore

1) Ad vulgarem nimirum sermonem respicit vox ἐρωτᾶν: vulgaris enim sermo saepe exhibet ἐφωτᾶν, nunquam ἐρέσθαι; porro saepe ad talia verba ut ἐρωτᾶν participium λέγων adicitur cf. Vetus Testamentum, Novum Testamentum, Pseudocallisthenem, similia.

Digitized by Google

scilicet quam quod posteriores prae se ferunt; idem tamen propensus iam fuit ad atticum genus dicendi. Recenti et novo quodam ornatu inducitur eius sermo: primus enim Herodotus interponere coepit inductorias formulas. Quae interpositio, ut liberior est, ita mobilitatem quandam sermoni adspergere videtur.

Iam vero excolendae huic consuetudini maximus apud prosaicos qui supersunt campus patebat.

Et sequitur primum Atticorum oratio soluta.

Quae enim apud Herodotum novata vidimus, primordia haec omnia sunt stili magis exculti eius, qui plurimum auctoritatis postea demum consecutus est: illis scilicet temporibus, quibus oratio quoque soluta, ut antea iam poesis, ab Asiae oris et magnae Graeciae urbibus ad eam pervenit urbem, quae in saecula proxima et in omne adeo tempus omnes artes aluit, excoluit, informavit.

Itaque ad magnos atticae orationis solutae scriptores pervenio.

Paulo post Herodoti ex vita excessum opus suum scribere coepit Thucydides. Parvum tantum temporis spatium inter hos scriptores intercessit. Et in hac re neque minus in illa, quod raro tantum orationes directas — breves praecipue — inserit narrationi, certe est positum, quod Thucydides nondum peculiarem illum dicendi colorem novit, qui inprimis linguae atticae proprius et plane novus dicendus est.

Attamen dispar est aliquo modo Thucydidis genus dicendi sermoni Herodoti. Et hac ipsa re, qua ab illo differt, ad Atticorum consuetudinem — maxima quidem ex parte — appropinquatur. Neque tamen in verborum collocatione: nam superatur in hac re ab ipso Herodoto, cum nullo loco Thucydides admittat inductoriae formulae interpositionem. Nec in illa re, quod magis quam illi in verborum delectu simplicitas lex ei fuerit suprema: nam

Digitized by Google

verba quae longius remota sunt ab ipsa notione dicendi, eadem fere frequentia Thucydides admittit qua Herodotus; ceterum saepius Thucydides eadem verba iterare non dedignatur: unde minor eius apparet varietatis amor — cf. *παρῄνει* I 139, II 10, VI 8, 15; *παρεκελεύσατο* IV 9, 125; VI 67; *ἀπήγγειλεν* IV 38, II 73; *παρεμυθεῖτο* VII 76; *ᾤδεσθαι* II 54: praeterea adest *εἶπεν* quater, *εἶπον* semel, *ἔλεγεν* 9 ies; *ἔλεγον* 7 ies; *ἔλεξεν* 6 ies; *ἔλεξαν* quater, *ἔφη* bis, *λέγων* quater, *εἰπών* semel, *ἀπεκρίνατο* quater.

Primum vero quod moneo hoc est: nusquam Thucydides ad huiusmodi verba participium *λέγων* vel simile adponit,[1]) itaque ab Herodoteo usu se liberavit.

Accedit aliud. Nunquam enim tempus imperfectum breviori antecedit orationi uno excepto loco I 53: hic autem locus idoneum habet explicatum; pluralis enim numerus orationem inducit;[2]) accedit quod oratio, quae

1) Appropinquari paene videtur hoc usu Thucydides ad qoesis sermonem, praesertim cum noverit Thucydides illud quoque dueplicis orationis genus, quod poesis inprimis proprium fuerat. Coniungit enim Thucydides duo inducendi verba particula *καί*: VII 76 *ἐθάρσυνε καὶ παρεμυθεῖτο.* Sed tamen hunc litterarum conexum refutandum esse puto: primum enim Thucydides omnes locutiones poeticas respuit, quas Herodotus admisit; deinde Atticorum oratio soluta hanc ipsam appetit participii *λέγων* omissionem: idemque sermo duo amat verba finita iuxta posita: quamquam aliter apud Xenophontem et Platonem haec duo verba usitantur atque apud Thucydidem.

2) Etiam faciliorem excusationem VIII 53 habet ubi praemittitur imperfectum *ἔλεγεν* brevi alicui orationi: nam quod sequitur *ὅτι* recitativum artum huius loci conexum cum obliquae orationis usu indicat; et saepius forma *ἔλεγεν* apud Thucydidem ita adhibetur, ut breves orationes obliquas inducat III 25, 1; VI 64, 2 etc.

Discrepat sane hac in re, quod verbo *ἔλεγεν* orationem obliquam inducit, Thucydides cum Herodoto: hic enim semper verbo *ἔφη* huiusmodi orationes inducebat; attamen Thucydides quoque verbum *ἔφη* amat ad or. obl. inducendam: nisi quod evitatur in Thucydide participii *φάς* ad alia verba dicendi — *ἔλεγεν* etc. — additio: e contrario saepe participium *λέγων* orationem obliquam inducit.

Digitized by Google

sequitur, pondus inde accipit, quod a nuntiis perlata est. Contra longiorem nonnunquam orationem inducit aut *εἶπεν*, quod in universum ante breviores orationes usurpatur quam *ἔλεξεν* aut hoc ipsum verbum quod est *ἔλεξεν*: cf. *εἶπεν* IV 58; *εἶπον* III 8; *ἐπετέπτον* I 67; *ἔλεξε* I 85; II 59; VII 60; *ἔλεξαν* I 31; VII 65; attamen maioris momenti est severus ille quem indicavi imperfecti usus.

Iam vero inter verba respondendi solum adest *ἀπεκρίναντο*; adest haec ipsa forma *ἔλεξεν*: agnoscimus igitur eiusdem attici sermonis vestigia, qui in postremis Herodoti libris nobis obvius fuit.

Ceterum nihil novavit Thucydides nisi quod participii *λέγων* abundantiam Herodoteam evitat. Ea in re posteriores eum secuti sunt.

Posteriores nunc adeamus. Xenophontem dico atque Platonem. Dixi iam antea prorsus diversum esse eorum genus dicendi a Thucydidis sermone. Accedit quod pauci tantum anni inter Thucydidis mortem idque tempus intercesserunt, quo scribere coeperunt Xenophon atque Plato; ergo ad hanc coniecturam deducimur: usitatam iam fuisse Thucydidis temporibus novam aliquam loquendi rationem, Thucydidem vero consilio certo vetustius aliquod genus dicendi retinuisse.

Iam vero certa argumenta desideramus: inveniuntur tamen in Ionis Chii libro illo, cui inscriptum fuit *ἐπιδημίαι*. Ex hoc opere pauca quidem nobis reliquit temporum invidia, attamen exhibentur orationes nonnullae directae in venusta illa narratiuncula, quae agit de Sophocle amatore Athen. XIII 603 E.

Certe Ion hoc loco habet, quod prioris temporis usum in memoriam revocet: legimus enim verbum illud *ἠμείφθη* ex poetis Herodotoque notum: idem verbum iam respuebat Thucydides.

Gravius vero nobis quidem, quod ad posteriorum sermonem Io prope accedit: interponit enim orationi non

Digitized by Google

modo vocem ἔφη — . . . *ἀναγελάσας ἐπὶ τῷ Ἐρετριεῖ Σοφοκλῆς ⟨Οὐδὲ τόδε σοι ἀρέσκει ἄρα, ὦ ξένε, τὸ Σιμωνίδειον . . . Πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος; οὐδ' ὁ ποιητὴς⟩* ἔφη *⟨λέγων . . . .⟩*[1]) —, sed etiam *εἶπεν* — et quidem separatur haec postrema vox a genetivo aliquo absoluto: *Ἐπικροτησάντων δὲ πάντων . . . . . ⟨Μελετῶ⟩ εἶπε ⟨στρατηγεῖν, ὦ ἄνδρες . . .⟩*. Hunc usum nunquam habebant antecedentes, nunquam ipse Herodotus: exhibetur saepe hic usus a posterioribus. Ergo breviorem Io praebet sermonem quam omnes ceteri prosae orationis scriptores, qui eisdem temporibus vivebant.

Sed quomodo explicatur haec sermonis licentia? Nec illud explicare hoc loco volo, unde ortum ceperit ipse interpositionis usus, sed illius rei causas quaero, cur ipse Io, non Thucydides, hunc usum admiserit, quamquam secutus est scribendo Thucydides Ionem, idemque Thucydides Athenis natus erat, in ea scilicet civitate, ubi ad summum paene pervenit verborum interpositio.

Tribuenda mihi videtur haec dicendi digressio diversae operum naturae. Deerant enim Ionis de quo dixi itinerario omnia, quae coniungerent hoc opus cum antecedentibus scriptis. Nemo talia ante scripserat nulloque exemplo Io utebatur; contra Thucydidis libri viam sequebantur ab aliis iam tritam: atqui pro norma severa hoc antiquis erat, ut nunquam nisi paulum ab antecedentium exemplo decederent. Rem hic observamus, quae saepius nobis occurret. Acciderunt enim similia non ita multo post in Xenophonte, cuius quidem vetustiorem sermonem historiae retinent, novum assumunt dialogi. Item postea quoque non tam scriptores ipsi sermonis imminuunt conexum et concinnitatem, sed ea litterarum genera, quae nova ad ante iam nota accedunt. Cf. apud Latinos Senecam et Petronium.

---

1) Scilicet hoc verbum non ipsam orationem inducit, sed postmodo orationi intercalatur: cf. de hoc usu p. 42.

Digitized by Google

Itaque liberioris interpositionis auctor fuit Io.

Quae ipsa interpositionis libertas atque frequentia atticum sermonem omnino separat a poetis historicisque eis, qui antecedebant: initium quidem cepit interpositionis usus ab Herodoto, ad maius vero pondus et auctoritatem apud Atticos pervenit, ad summum denique finem postremis temporibus, cum medii aevi caligo antiquitatis splendorem umbrare coepit.

Iam Xenophontem adimus. Multa habemus Xenophontis scripta, nihil vero certi de ordine, quo sint conscripta. Ergo magnus coniecturarum campus viris doctis patebat. Quem multi ingressi sunt; et alius quidem ex aliis argumentis eruere studebat rectam librorum seriem. Sed unusquisque fere ad alium pervenit finem.[1])

Proximum vero nobis quidem est, ut ab eis Xenophontis scriptis ordiamur, quae arte conexa sunt cum antecedentibus: ergo initium faciamus ab historicis scriptis. Iam vero quaeritur, quid primum fuerit scriptum. Num forte Hellenicorum libri? Constat sane Thucydidis vestigia secutum esse in Hellenicis Xenophontem. Attamen ab iis quominus initium capiamus hac deliberatione cohibemur.

Vitam egit Xenophon in villa apud Scilluntem sita ab omnibus negotiis longe remotam; quae ipsa vita otium ei dedit et tempus, ut ea conscriberet, quae ei occurrerant memoratu digna. Quid autem Xenophonti tum magis curae poterat esse quam ut iter illud conscriberet, quo ipse nuper per Asiam reduxerat Graecos?

Et re vera Anabasim primum scriptam fuisse aliquo sermonis indicio confirmari videtur, quod equidem satis grave puto, ut primum locum obtineat. Inducitur enim oratio in secundo Anabasis libro 5, 16 verbo ἀπη-

1) cf. de hac re Joh. Dahmen: Quaestiones Xenophonteae et Antisthenicae Marp. 1897: ubi disputationes enumerantur, quae huc pertinent. Adsumas E. Schwartzium, qui de Hellenicis praecipue disputat in Museo Rhen. t. 44 p. 161 sq. cf. p. 35 adn. 1.

Digitized by Google

μείφθη. Hoc verbum nunquam postea invenitur nec apud Xenophontem nec alibi apud Atticos, saepius vero, sicut vidimus, apud poetas et Herodotum: qua re illuc deducimur, quo saepius postea aliis adhibitis argumentis, antecessisse Anabasim ceteris Xenophonteis scriptis.

Hinc viam teramus oportet per cetera scripta; quod negotium non ita facile esse fateor: eandem enim fere imaginem totus Xenophonteus praebet sermo; accedit quod, quae digrediuntur a communi sermone, tribuenda esse videntur ex magna quidem parte illi rei, quod partim dialogi, partim historiae formam Xenophontis scripta acceperunt.

Attamen hoc persequi conemur, quatenus unius cuiusque scripti sermo ab Anabasi, Thucydide, Herodoto abhorrens ad maiorem libertatem progressus sit. [1])

Praemitto pauca verba de eo sermone, quem communem habent omnia scripta Xenophontea.

---

1) Non disputo hoc loco cum viris doctis, qui alias causas secuti alium scriptorum Xenophonteorum ordinem statuerunt: nam partes meae me huc non vocant. Attamen una res mihi commemoranda videtur. Sunt enim, qui non multum confidendum esse putent particularum usui ad definiendum ordinem observato: cf. Joh. Dahmen, Quaest. Xenoph. p. 1. Et quidem recte iudicant; illas enim quaestiones dicunt, quae unius tantum particulae vel paucarum vocum usum per unius scriptoris opera pervestigant. Hoc non ita esse puto in mea disputatione nam certam aliquam progressus viam invenisse mihi videor eademque via per maius tempus multosque scriptores porrigitur: et sequitur eam ipse Xenophon — sicut infra videbimus. Unde effici nonnulla posse ad scriptorum ordinem definiendum sane mihi persuasi.

Nec prorsus me aberrare a recta via hoc mihi ostendit, quod viri docti nonnulli alia secuti argumenta, quae res ipsae in Xenophonteis scriptis relatae eis praebebant, ad similem librorum seriem pervenerunt; cf. Ed. Schartzium, qui Hellenicis ultimum fere locum tribuit inter Xenophontis scripta; adde quod Dahmen hanc statuit seriem: Memorabilium l. I, II, Cyropaedia, Memorabilium l. III, IV, Convivium, Oeconomicus, Hiero. Adde, quod confirmatur aliquo modo ipso inductionum usu Memorabilium ea seiunctio, quam modo commemoravi.

Digitized by Google

Verborum delectus in eis primo obtutu vix diversus videtur a Thucydide. Eadem enim usitantur verba dicendi: vox *εἶπεν*, formae illae a radice *λεγ-* derivatae, quae sunt *λέγει*, *ἔλεξεν*, *ἔλεγεν*; porro *ἔφη*, *ἀπεκρίνατο*, *ἠρώτα*, *ἤρετο*; praeterea alia nonnulla verba, quae afferam infra.

Contra usus horum verborum paene totus mutatur a Xenophonte.

Duabus praecipue rebus: primum verborum interpositio maiorem apud eum assequitur auctoritatem, porro tantam frequentiam verbum *ἔφη*, ut omnes ceteras voces longissime reprimat.

Haec duo peculiaria invicem explicant: scilicet augetur verbi *ἔφη* usus, dum frequentatur interpositio. Memineris usum Herodoteum; illud dico, quod in solo verbo *ἔφη* interpositionem admisit Herodotus. Idem vero usus in Xenophonte invenitur, quin etiam in maius auctus est ea re, quod iam nunquam fere verbum *ἔφη* anteponitur orationi. Contra cetera verba semper anteponuntur: nisi quod intercalatur verbum *εἶπεν* quamvis paucissimis locis.

Iam vero hoc fere monendum videtur. Dixi antea historiarum scriptores semper se applicare ad antecedentium genus dicendi. Nonne decedere videtur ab hac norma Xenophon, cum tantopere diversus sit eius sermo a Thucydideo? Attamen vincit in Xenophonte historiae auctoritatem nova vis: dialogi dico auctoritatem; nam pleraque quidem Xenophontis scripta dialogi sunt et in ipsis historicis scriptis magnas agit dialogus partes.

Adsumas atticae indolis alacritatem nec iam mirum dices, quod ita rarescit antepositio, in maius augetur interpositio.

Etiam dialogi naturam respicias: fulminis saepe instar responsio sequitur rogationem; interrumpit saepissime orationem altercatio aliqua eademque subito pronuntiatur; porro arte se applicant prima verba sequentis orationis ad ultima antecedentis. Quid molestius cogitari potest,

Digitized by Google

quid magis contrarium omni variationi quam inductionum antepositio? contra quid aptius, quid facilius quam interpositio?

Iam si ad interpositionis usum propius accedimus, facile plures loquendi formas distinguimus.

Habemus primum illum usum, quem novimus iam ex Herodoto: scilicet interponitur verbum eis locis, quibus oratio obliqua in directam transit: cf. Cyrop. I 4, 20 etc.

Nec ita longe abest ab hoc primitivo gradu forma ea quam dico secundam. Quo ii pertinent loci, quibus denuo incipit oratio, quae brevibus verbis — sicut ἔδοξε ταῦτα — ante intermissa erat cf. Cyrop. VII 3, 11: quae ipsa interpositio in Herodoto iam legebatur; accedunt ei loci, quibus orationi, quae iam inducta erat, mox per abundantiam alterum verbum interponitur; cf. talia ut Memor. I 3, 9 ἤρετο Ξενοφῶντα ⟨εἰπέ μοι⟩ ἔφη ⟨ὦ Ξενοφῶν . . . vel ibid. I 3, 12 ⟨Καὶ τοῦτο⟩ ἔφη ὁ Σωκράτης ⟨θαυμάζεις; οὐκ οἶσθα⟩ ἔφη ⟨τὰ . . . Itaque in omnibus his exemplis ad praemissum verbum inductorium ipsa interpositio accedit.

Tertia denique interpositionis forma in ipsam dialogi regionem introducimur: interponitur enim verbum inductorium ipsis dialogi sermonibus pro vera inductione. Hic rursus duo genera distinguenda sunt. Primum solum interponitur verbum cf. Memor. I 2, 34 ⟨. . . τὼ δ' ἐφάτην⟩ ⟨Ἐγὼ τοίνυν⟩ ἔφη ⟨. . ., deinde una cum subiecto — ἔφη ὁ Σωκράτης etc.

Etiam magis a pristino usu loquendi quarta nos deducit forma: interponitur enim saepe verbum ἔφη hoc modo, ut separatum sit a reliquis eiusdem sententiae vocibus, cf. Memor. I 4, 3 καὶ ὃς ⟨Λέξον ἡμῖν⟩ ἔφη ⟨. . .; sive participium aliquod cum subiecto vel aliis vocibus coniunctum orationem antecedit sicut καὶ ὁ Χαρικλῆς ὀργισθεὶς αὐτῷ ⟨. . .⟩ Mem. I 2, 35, sive solum subiectum: ὁ δὲ Σωκράτης

Digitized by Google

⟨. . .⟩[1]). Hic quidem seiunctionis usus quippe nostrae linguae ignotus ex licentia primum ortus videtur nec tamen certo aliquo argumento caret. Denuo enim eo deducimur, ut agnoscamus, quantum in verbi ἔφη interpositionem orationis obliquae similis usus valuerit: nam saepissime in oratione obliqua a ceteris eiusdem sententiae vocibus verbum inducens separabatur; cf. huius sententiolae exemplum *βὰς ἐπὶ τοὺς ἐφόρους ἄμεινον εἶναι ἔφη*, quod fortuito ex Herodoto III 148 excerpsi.

Itaque diversi sane interpositionis gradus distinguendi sunt.

Sed quomodo inter Xenophontis scripta distributi sunt? Potestne fieri, ut hinc ad observandum progressum aliquem dicendi perveniamus, qui eius librorum seriem nobis indicet?

Porro iam antea dixi frequentari prae omnibus ceteris vocibus verbum ἔφη. Attamen usurpatur etiam verbum εἶπεν et quidem modo saepius legitur, modo rarius. Quid, si etiam ex huius frequentiae differentiis de ordine scriptorum aliqua conclusio dabitur?

Quae omnia ut accuratius celeriusque perlustremus, brevem supposui tabellam de verborum εἶπεν et ἔφη vario usu; sequitur altera tabella, quae ceterorum verborum continent usum. Numeri qui in hac postrema tabella post colon: ponuntur eorum locorum frequentiam indicant, in quibus praemittitur quidem orationi inductorium verbum — *εἶπεν, ἔλεγεν, ἔλεξεν* —, sequitur vero post pauca orationis verba vox ἔφη; tales locos dico ut Memor. I 3, 9 *ἤρετο Ξενοφῶντα ⟨Εἰπέ μοι⟩ ἔφη ⟨ὦ Ξενοφῶν . . .⟩*. Vide infra tab. I et II.

Iam vero haec fere ex tabellarum numeris colligo.

1) Hic usus licentior sane dicendus est, ubi subiectum praemittitur; nam duobus modis in dialogo evitari poterat haec, de qua egi, separatio: aut antepositione verbi inducentis — *ὁ δὲ Σωκράτης ἔφη ⟨. . .⟩* aut interpositione subiecti: *⟨. . .⟩ ἔφη ὁ Σωκράτης ⟨. . .*

Digitized by Google

Primum ex verborum ἔφη et εἶπεν collocatione hoc: saepius verbum εἶπεν in Anabasi usurpatur, rarescit vero in ceteris scriptis eo plus, quo magis dialogi formam haec scripta adepta sunt vel colloquia receperunt, id quod accidit in Cyropaedia. Attamen in Hellenicis quoque verbo εἶπεν angustus tantum usurpationis locus patet, certe multo frequentius hoc verbum in Anabasi exhibebatur; unde hoc elucet: iam propriam fuisse Xenophontis dialogorum sermonis artem, cum Hellenica scripsit. Et re vera hoc opus sub finem vitae a Xenophonte scriptum esse illa quoque indicat res, quod interponitur orationi verbum εἶπεν in Hellenicis semel quidem, nunquam vero haec vox in Anabasi interponitur, contra saepe intercalatur in ipsis dialogis: a qua norma Oeconomicus solus discedit, quem non una in re a ceteris dialogis segregatum esse infra videbimus. Paulo rarius denique quam dialogi vocis εἶπεν interpositionem Cyropaedia habet.

Ergo hinc iam series quaedam, qualem venamur, evadere videtur: ad Anabasim propius admovetur Cyropaedia, contra ad finem Hellenica atque dialogi.

Pergo ad vocem ἔφη.

Praemittitur nunquam orationi haec vox in Hellenicis et in Oeconomico, sed in Anabasi quoque raro anteponitur: ergo non tantum confidendum videtur huic observationi, quantum ceteris illis, de quibus adhuc vidimus. [1])

Porro nihil notabile praebet interpositionis usus iis locis, quibus oratio obliqua in directam transit; de iterata vero interpositione postea accuratius dicturus sum cf. p. 42.

Sed supersunt interpositionis formae disputandae.

Ordior a tertia illa, quae in dialogo ipso verbum interponit nullo inductorio verbo praemisso. Distinxi iam

1) Sub marginem relego observatiunculas duas. Primum enim in solis Memorabilium libris I et II vox εἶπεν usurpatur, nunquam in libris III et IV; porro verbum ἔφη orationi anteponitur 13 iens in libris I et II, quater tantum in posterioribus libris: quod in eorum usum adfero, quiin duas partes separanda Memorabilia esse viderunt.

Digitized by Google

supra duo huius formae genera: et quidem haec erant: modo solum verbum orationi interponitur, modo una cum verbo subiectum. Saepe in Anabasi haec altera forma obvia est, ut subiectum ad verbum inducens addatur, raro tantum omittatur: hoc permutatum iam est in Cyropaedia et Convivio, etiam magis in Memorabilibus. Ne tamen si quid colligere vis ex hac numerorum ratione, unius cuiusque operis peculiare genus neglegas. Certe illud, quod in Hierone et Oeconomico frequentius quam in ceteris dialogis subiectum cum ἔφη copulatur, ex operum ipsa natura explicatur. In Hierone enim nihil molesti habet subiecti additio ea de causa, quia in hoc dialogo longae orationes ad aeque longas annectuntur. In Oeconomico vero cum aliud colloquium in aliud insertum sit, magna personarum fit mutatio eademque mutatione id curatur, ut distinctius singulae orationes seiungantur. Nec aliter res se habet in historicis scriptis: et inde de Hellenicis denuo conclusio dabitur. Ea enim re a ceteris historiis differunt Hellenica, quod raro tantum exhibent subiectum.

Magis quam hic, de quo egi, interpositionis gradus quarta illa forma loquendi ipsius scriptoris arbitrio permissa videtur, eam dico, qua separatur inductio a ceteris eiusdem sententiae verbis: καὶ ὅς ⟨Λέξον ἡμῖν⟩ ἔφη ⟨. . . Ergo ex huius usus aestimatione fore spero, ut accuratius librorum Xenophontis ordinem eruere possimus. Nec tamen eos locos dico, quibus extra ipsum dialogum verbum inducens a subiecto separatur: καὶ ὁ Χαρικλῆς ὀργισθεὶς αὐτῷ ⟨. . .⟩ ἔφη. Quem usum vocis ἔφη origo et natura facile commendabat, cf. p. 38, proptereaque Xenophon eum suum fecerat de principio: saepe enim iam in Anabasi hic usus invenitur.

Contraria vero accidunt in eo usu, quo Xenophon in ipso dialogo verbum inductorium a solo subiecto separat: ὁ δὲ Σωκράτης ⟨. . .⟩ ἔφη ⟨. . .⟩; nam et licentior est hic susus — cf. p. 38 adn. 1 — et alienus plane fere ab Anabasi:

Digitized by Google

scilicet subiectum in hoc scripto semper fere interponitur. Idem accidit in Cyropaedia. Dehinc vero ita crescit haec loquendi ratio, ut in Convivio, in Memorabilibus, in Hellenicis denique dimidium paene attingat eius numeri, quo interpositio subiecti indicatur.

Sic denuo probatum videmus, quod saepe iam conclusimus: primum Anabasim scriptam fuisse, secutos esse Cyropaediae libros, seriem concludere Memorabilia, Convivium, Hellenica; quae postrema scripta si hunc usum spectas tam arte cohaerent, ut eisdem fere temporibus scripta esse videantur.

Unum vero caret adnotatione. Separatur enim Oeconomicus hac in re a ceteris dialogis, quod respuit prorsus fere hanc de qua dixi subiecti seiunctionem. Hoc certe alicuius momenti est Sunt enim praeterea multa, quae aperte separent Oeconomici sermonem a ceteris dialogis et me quidem prohibent, quominus hoc scriptum in Xenophonteorum operum seriem certo loco inseram. Plura huc pertinent. Unum statim commemoretur: illud dico, quod stricte semper separatur vocis ἔφη usus a verbo εἶπεν, cum εἶπεν nunquam interponatur, nunquam vero anteponatur verbum ἔφη: cuius similem distinctionem nusquam alibi in Xenophonte inveni.

Attamen haec sufficiant. Certe habemus librorum ordinis fundamenta: eis maiorem vim praebeant et auctoritatem, quae de hac re sequuntur per disputationem dispersa.

Iam multa peculiaria enumeravi, quae praebeat sermo Xenophonteus: vidimus sermonis ornatum nusquam ante notum. Unde vero effluxerit hoc eius peculiare non nisi ex parte adhuc perspeximus.

Hoc accuratius nunc percensendum est.

Quamvis magna arte exculta sit Atticorum oratio soluta, quamvis studiose coluerit ipse Xenophon omnes dicendi partes atque figuras, continet tamen Xenophontis

Digitized by Google

sermo regressum quendam ad populare genus dicendi: irrepunt enim nonnulla, quae ex cottidiano sermone sumpta sunt. Id ut melius intellegi possit, nostrae linguae usum attingam. Attendas quaeso simplicem viri plebei hodierni sermonem rationemque illam observes, qua ille orationem directam reddere solet in narratione, miraberis certe hoc, quanta verborum copia oratio ab eo induci soleat. Semper enim id student huiusmodi homines, ut manifesto patefaciant non iam narrationem exhiberi sed ipsam adesse orationem directam; accedit quod intermissionem saepe appetunt vel pausam dicendi; quibus factum est, ut anteponatur quidem orationi verbum aliquod dicendi, sequatur vero, ubi vix partem eius aliquam absolverit, altera inductio, eoque plures audies inductiones quo longior fiet oratio. Talia cottidie in populi sermone observas, quin etiam in litteris nostris graphice compositis talia leguntur cf. e. g. Sudermann: Jolanthes Hochzeit p. 9, 29, 40, 54: quibus ipsis locis tantum valet studium sermonis cottidiani, ut omni neglecta variatione idem verbum „sagen“ orationi praeponatur et interponatur: cf. p. 40 . . . und sagt: „denken — wozu denken?“ sagt sie . . . [1])

Cuius simile quid adest in Xenophonte: hac re tantum differt Xenophon, quod semper diversum est alterum verbum a priore — *εἶπεν, ἔλεγεν* etc. + *ἔφη*; cf. tabellam II — in secundo vero loco semper *ἔφη* adhibetur: scilicet semper hoc verbum iis locis adest, quibus statim in initio orationis alterum verbum interponitur[2]): cf. Mem. I 3, 9 *ἤρετο Ξενοφῶντα ⟨εἰπέ μοι⟩ ἔφη ⟨ὦ Ξενοφῶν . . . .⟩*, adest semper iis quoque locis, quibus in posteriore aliquo orationis loco inductio iteratur: cf. Mem. I 3, 12 *⟨Καὶ τοῦτο⟩ ἔφη ὁ Σωκράτης ⟨θαυμάζεις; οὐκ οἶσθα⟩ ἔφη ⟨τὰ . . . .*[3])

1) cf. A. Ludwich: Die Formel *ἤ δ' ὅς* in Museo Rhenano XLI p. 451.

2) Unus excipitur locus Cyrop. I 6, 12, ubi *εἶπας* usurpatur.

3) De hoc postremo usu nonnulla addenda sunt: scilicet eis

Digitized by Google

Iam vero hic quem duplicis et iteratae inductionis [1]) usum dico in Xenophonteis scriptis non idem ubique exhibetur. Initium capit ab Anabasi, deinde ascendit ad Cyropaediam, ubi ad summum frequentiae pervenit; dehinc vero descendit, ut in Hellenicis et in dialogis — solo excepto Oeconomico [2]) — multo rarius exhibeatur. Rarissime legitur in Memorabilibus, paulo plus in Convivio et Hierone. Ergo non perpetuum aliquem habemus progressum sed usus inconstantiam.

Quid ergo? Nonne hoc obstat illi quem supra statuimus scriptorum ordini?

Hoc non ita esse aio. Omisimus enim rem aliquam, quae tamen iam saepius nobis occurrit: omisimus illud, quod ad diversa litterarum genera Xenophontis scripta pertinent. Sequitur enim Xenophon in Anabasi ex magna quidem parte historiam eam, quae antecessit, cuius auctoritate vinctus paululum tantum suam ipse viam consequi audet; in dialogis vero alia valet auctoritas. Platonis auctoritatem dico. Plato enim ipse duplicis et iteratae interpositionis usum angustis terminis cohibet, cf. tabellam III et IV: unde translata mihi quidem videtur similis aliqua dicendi continentia in Xenophontem. [3])

---

inprimis locis invenitur, quibus aut summa orationis in unum congeritur aut mutatur orationis vox: sive alacrior fit oratio sive rogatio aliqua incipit sive praeceptum.

1) Manifesto congruunt haec duo interpositionis genera: altero enim crescente alterum quoque augetur, hoc minuto illud quoque inminuitur. Hoc magni momenti est. Primum enim aperto exemplo in lucem denuo effertur hoc: non forte fortuna modo hanc modo illam inductionis formam usurpari a scriptoribus, sed severis astringi legibus hanc mutationem. Porro maiorem auctoritatem ea accipiunt, quae concluduntur ex horum interpositionis generum usu.

2) Hac quoque in re Oeconomicus obstat, quominus inseratur in scriptorum ordinem: nam a dialogorum sermone abhorrens manifesto ad historias appropinquatur, ad Anabasim videlicet et Cyropaediam.

3) Certe accurata argumenta hoc loco desiderantur, quibus confirmetur haec Platonis auctoritas: talia nequeo proferre. Attamen

Digitized by Google

Iam nihil miri habet ille, quem in duplici iterataque interpositione vidimus Xenophonteorum scriptorum decursum. Satis enim iam peritus scribendi sibi vibebatur Xenophon, cum Cyropaediam scripsit; ergo liberiore aliquo sermone in hoc opere utebatur nec ullam sibi ponebat normam quae artis severae legibus astricta erat; deinde cognito Platone vel simili quovis huius generis auctore melius edoctus ad maiorem simplicitatem in dialogis revertit: quae ipsa simplicitas in Hellenica quoque transferebatur.

Nusquam vero in Xenophonte cottidiani huius sermonis vestigia prorsus exstirpata sunt.

Qua ipsa re eius sermo peculiarem quendam accipit ornatum, quo manifesto separatur Xenophon a poetis, ab Herodoto, Thucydide: idemque sermo in primis id effecit, ut stilum assumeret prosa oratio sui tantum proprium. Novo studio Xenophontis scripta plena sunt: arte enim exculta poeticus sermo verba vocesque finxerat; contra imitari studet Xenophon verum ipsius vitae sermonem.

Plura iam vidimus, quae huc pertinebant. Dico simplicitatem, qua unum potissime verbum dicendi ceteris praefertur: adde totum interpositionis usum.

Accedunt alia momenta, duo maxime: primum hoc, quod omnia illa verba apud Xenophontem rarescunt, quae vocem oratoris describunt, item illa, quae argumentum orationis praeparant velut *παρεκελεύσατο*, deinde illud, quod saepe usurpatur verbum *ἄρχεσθαι*.

Quae res aperte coeunt. Contraria enim sunt illa verba, quae vocem vel argumentum indicant, primitivo populi sermoni: nam nunquam id curare solet primitivus aliquis narrator, qua indole sequens oratio sit; porro deest in sermone cottidiano omne fere variationis studium.

---

magis magisque videbimus, quantum Xenophonteorum dialogorum sermo ab historiis abhorrens ad Platonis genus dicendi se appropinquet.

Digitized by Google

Contra vox ἄρχεσθαι, quippe quae initium solum orationis respiciat, cottidiano sermoni plane respondet.

Attamen in his quoque verbis Xenophontis scripta inter se differunt; et quidem nititur haec loquendi differentia partim in temporis discrimine partim vero in diverso operum genere. Quod statim apparet ex illis verbis, quae vocem describunt vel argumentum indicant. Exhibent enim Xenophontis scripta minorem horum verborum frequentiam quam antecedentis temporis litterae, porro minorem quam Anabasis et Cyropaedia Hellenicorum libri, minorem denique quam omnes Xenophontis historiae ipsi dialogi. Ergo inter ipsa Xenophontis scripta ad finem id magis magisque perductum est, quod initium ceperat iam inde ab Herodoto.

Id ut perlustremus, brevis sufficiat verborum enumeratio.

Antecedant Anabasis et Cyropaedia, in quibus haec fere verba descriptiva sunt vel vocem vel argumentum indicantia: legitur βοᾶν Anab. IV 7, 24; Cyrop. VIII 1, 29; ἐπεύχεσθαι Cyrop. V 1, 29; VI 4, 9; V 4, 14; VIII 7, 3; φθέγγεσθαι ibid. III 3, 61; 62; VII 3, 11. Accedunt παρεγγυᾶν Cyrop. III 2, 6; ἀφίκετο εἰς τόνδε τὸν λόγον ibid. II 2, 1; προσηνέχθη ibid. IV 5, 44 quod pro voce ἀποκρίνασθαι positum nusquam alibi in Graecorum litteris inveni; porro ἀκούομεν θορύβου πολλοῦ Anab. V 7, 21 et ἔννοια αὐτῷ ἐμπίπτει ibid. III 1, 13; haec postrema quidem locutio libera est et ad poesis usum prope admota videtur, attamen aptum habet explicatum: inducitur enim hac formula soliloquium aliquod, totiusque antiquorum sermonis id proprium videtur, ut huiusmodi orationes liberis formulis inducantur: cf. Liv. l. IX 3, 1 „fremere"; Curt. Ruf. III 6, 5 „secreta aestimatione pensabat"; porro Xenoph. Ephes. V 9, 5 πολλὰ πρὸς ἑαυτὸν ἐλογίζετο; ibid. II 10, 3 ἐνενόει δὲ πρὸς ἑαυτὸν πολλάκις; Evang. Marci II 6 . . . διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Unde hoc elucet: non pro veris

Digitized by Google

orationibus soliloquia habita esse, sed artius ea coniuncta fuisse cum ipsa narratione. Praeterea Thucydidis memoriam revocant haec verba: *παρῄνει θαρρύνων τοιάδε* Anab. I 7, 12; *ἐπιλέγειν κελεύων* Anab. I 9, 26; *παρεκελεύετο* Anab. III 4, 46; Cyrop. III 3, 43; *προστάττουσιν* Cyrop. V 3, 49; *ἐνετέλλετο* ibid. III 3, 40; *ἐπῄνεσεν* Cyrop. IV 4, 3.

Haec omnia verba oblitterata paene videntur, ubi orationum frequentiam respicis quanto maior in Xenophonte sit quam in Thucydide Herodotoque [1]).

Pergo ad posteriora Xenophontis scripta: ubi etiam rarius talia verba inveniuntur. In Hellenicis enim uno tantum loco VII 1, 3 verbum exhibetur *παρακελεύειν*, alio loco VI 3, 7 vox *ἀγορεύειν*: et quidem peculiaris illa deest hoc loco verbi *ἀγορεύειν* notio, qua Herodotus utebatur (supra p. 25); in Memorabilibus deinde et Oeconomico quamquam novum aliquod admittitur verbum, quod ex dialogorum peculiari genere originem duxit — *διαλέγεσθαι* Mem. II 10, 1; III 3, 1; IV 5, 2; Oec. I 1 —, tamen paucissima huiusmodi exhibentur verba: quattuor in Memorabilibus *ἐδίδασκεν* I 7, 2; *ἐπεσκόπει* III 8, 8; *ἐπανῆγεν τὸν λόγον* IV 6, 14; *λέγειν ἀρχόμενος προοιμιάσεται* IV 2, 4, nullum omnino in Oeconomico, nullum in Hierone, solum *ὑπέλαβε* in Convivio IV 22.

Cuius simile quid in verbis interrogandi et respondendi accidit; nisi quod etiam apertius ex his vocibus hoc elucet, ad Platonem se appropinquare dialogorum sermonem; nam nunquam omnino vocem *ἀποκρίνεσθαι* Plato usurpat, raro interrogandi verba: quibus respondet, quod in Xenophontis quoque dialogis prorsus exstirpatur verbum *ἐρωτᾶν* [2]), paene evanuerunt voces *ἐρέσθαι* [3]) et *ἀποκρίνεσθαι*:

1) Porro hoc memoratu dignum est, quod ad summum ascendit horum verborum usus in Cyropaedia. Accedit quod ipsa Cyropaedia novum illud *προσηνέχθη* assumit: ergo maior adest in Cyropaedia dicendi licentia. Qua re probatur, quod supra iam coniecimus p. 44.

2) Hac re confirmatur aliquo modo illa verbi *ἐρωτᾶν* origo, quam supra iam coniecimus p. 29 adn. 1.

3) Annectitur facile ad haec interrogandi verba observatio

Digitized by Google

contra haec omnia verba saepe Xenophon in historiis exhibebat; cf. tabellam II.

Hactenus de eis verbis, quae vocem orantis vel summam orationis indicant.

---

aliqua, quae si in disputationem ipsam reciperetur, eius cursum perturbaret.

Cum cumularentur magis magisque in dialogo sermo et contradictio, cum artius semper ad rogationes responsa annecterentur, excogitanda erant, quae prohiberent, ne simplicitatis dicendi lectorem taederet. Varietatem aliquam interpositionis usus iam afferebat. Aliud vero postea usu recipiebatur. De hac re nunc agam.

In Hellenicis enim primum illae saepius usurpantur inductiones, quae genetivo absoluto utuntur, ut primae alicuius orationis inductionem succedenti subiciant cf. Hellenica III 1, 28 *ἐρομένου δὲ τοῦ Μειδίου „. . .“ ἀπεκρίνατο „. . .“*.

Hoc inductionis genus illis nimirum facillime usurpabatur locis, quibus brevis aliqua oratio quam artissime cum sequente conexa erat. Quid vero aptius cohaeret, quid artius potest coniungi quam rogatio atque responsum? Ergo non mirum in ipsis interrogandi verbis hanc genetivi absoluti constructionem primum occurrere, cf. Hellenica III 1, 28; 37; IV 3, 2; legimus praeterea in Hellenicis participium coniunctum *ἐρωτώμενος* V 3, 15; genetivum denique absolutum uno tantum sequente orationis verbo in Memorabilibus quoque III 13, 2: in quo ipso scripto facile illinc hic usus sequebatur, quod saepius hic obliqua oratio a genetivo absoluto inducta antecedit directam sicut III 13, 2 *ἄλλου δὲ λέγοντος, ὅτι ἀηδῶς ἐσθίοι ⟨Ἀχουμενός⟩ ἔφη . . . .* Haec chriae forma facta est solemnis. Atque hi soli sunt loci, quibus in ipso dialogo haec constructio adhibetur.

Alibi, non in ipso dialogo, invenitur hic usus in voce *εἰπόντος*: quae vox saepe in Hellenicis hic usurpatur cf. III 1, 22 *εἰπόντος δὲ τοῦ Δερκυλίδου ⟨. . .⟩ ὁ Μειδίας ὤκνει μὲν ἀνοίγειν τὰς πύλας . . . .* Similiter dicta sunt III 3, 2; I 7, 9. Contra qui in ceteris scriptis, non in Hellenicis, huiusmodi inveniuntur loci, pauci tantum sunt idemque parvi momenti: quo pertinet in Anabasi vox *βοώντων*, quae exclamationem illam inducit *⟨θάλαττα, θάλαττα⟩* IV 7, 24, praeterea ibid. I 8, 26 participium *εἰπών*, idem participium in Cyrop. VIII 3, 8, porro ibid. VII 1, 29 participium *βοήσας*. Qui omnes loci si cum Hellenicorum usu comparantur, pauci tantum videntur; accedit quod uno excepto Cyrop. VIII 3, 8 semper de brevissimis dicteriis agitur, contra in Hellenicis si non de longis orationibus, attamen de pluribus verbis. Ergo hic quoque usus et numeri et licentiae culmen in Hellenicis attigit.

Digitized by Google

Iam pergo ad vocem ἄρχεσθαι. Usurpatur haec vox saepissime in Cyropaedia,[1]) frequenter in Anabasi et Hellenicis, rarissime in dialogis: quae omnia iteratae inductionis usum in memoriam revocant, cf. p. 43.

Sed alius quoque progressus huic voci inhaeret: scilicet oratio soluta, cum initium caperet ab Herodoto, ea re maxime a poetis distabat, quod diligenter id curabat, ut adstringeretur unicuique inductioni notio ipsa dicendi: λέγων, λόγος similia (supra p. 21). Quae cura ne in Xenophonte quidem prorsus deleta est, in primis dumtaxat scriptis. Sex enim locis in Anabasi verbum ἄρχεσθαι exhibetur, ex quibus quattuor notionem aliquam dicendi assumunt vel τοῦ λόγου I 6, 6; III 1, 3; 2, 7 vel infinitivum λέγειν VII 2, 28; duo vero, qui supersunt loci III 2, 9; V 1, 13, carent hac quidem additione; attamen hunc explicatum habent, quod verbum ἄρχεσθαι hic non pro vera inductione exhibetur: denuo enim his locis oratio aliqua incipit, quae brevibus verbis intermissa erat; accedit, quod haec ipsa oratio uno quidem loco III 2, 7 ipsam inductionem habet ἤρχετο τοῦ λόγου, habetque alter locus V 1, 4 verbum λέγει. Vocis ἄρχεσθαι usum non nisi leniter promovet Cyropaedia: solum enim ἄρχεσθαι sine participio duobus quidem locis — I 4, 13; V 2, 25 — orationi alicui hic praeponitur:

Iam pauca verba sequantur de reliquo participii usu: oblitteratus paene hic usus in Xenophonte videtur si cum Herodoto ipsoque Thucydide comparatur. Nam praeter hos quos iam enumeravi locos pauci tantum adsunt: ex quibus Mem. III 1, 4 προσέπαιζεν αὐτῷ λέγων maxime urguendus est, quippe cum ille usus hac inductione in animum revocetur, quo ad inducendi verba ἀμείβετο, ἠρώτησεν similia participium λέγων adstringere solebat Herodotus. Accedunt ἐπιλέγοντα Cyrop. I 3, 7; λέγων Mem. II 6, 1; λέξας ibid. III 6, 2. Itaque paucissimis tantum locis participium vides. Attamen hoc non mirum. Interponere enim solet orationi Xenophon, sicut vidimus, alterum inductionis verbum. Ergo locus non patebat vetustiori illi inductionum rationi, qua plures inducendi voces orationi praemittebantur.

1) Hac quoque re id confirmatum videmus, quod dixi supra de Cyropaediae indole p. 44 et p. 46 adn. 1.

Digitized by Google

quod tamen inde excusatur, quod his locis orationi insuper verbum ἔφη interponitur. Ergo Hellenicis relictum est, ut liberius uterentur verbo ἄρχεσθαι. Hoc ita accidit; nam uno tantum huius operis loco IV 1, 38 verba τοῦ λόγου cum voce ἄρχεσθαι coniuncta sunt et quidem cum insolita activi forma ἦρξε: contra ceteris locis VI 3, 3 et VII 3, 7 verbum ἄρχεσθαι solum et nudum orationi praemittitur. Attamen dialogi quoque hoc verbum habent: Conv. VIII, 1 καινοῦ λόγου κατῆρχεν; Mem. IV 2, 5 τοῦ λόγου ἄρχεσθαι ἐντεῦθεν, quibus duobus locis cum adiectam sit illud λόγου — scilicet nova vox κατῆρχεν additioni favebat — denuo coniecturam illam confirmatam videmus, quam secuti postremum locum inter Xenophontis scripta Hellenicis tribuebamus.

Sic ad libertatem maiorem dicendi postremum Xenophontis scriptum procedit.

Cuius simile quid in alia voce observamus: qua observata ad rem aliquam deducimur, quam supra iam attigi. Dixi enim antea p. 18 hoc fere: vocabula velut βοᾶν, ἀμείβεσθαι similia non satisfacere inductioni, ubi primum usurpantur, sed coniungi solere cum verbo aliquo dicendi velut ἀμειβόμενος προσέφη. — Deerat tum accuratius huius rei argumentum; hoc nunc habemus si usum inspicimus vocis ὑπολαβεῖν. Ad Herodoti sermonem attendamus, apud quem saepe participium ὑπολαβών legimus: et quidem appositum ad ἔφη vel εἶπεν cf. I, 11; VI, 139; nusquam tamen verbo finito ὑπέλαβε Herodotus orationem induxit. Sequuntur hunc ipsum usum prima quoque Xenophontis scripta: nam saepius hic participium ὑπολαβών ad orationem inducendam admittitur — Anabas. II 1, 15; III 1, 33; Cyrop. II 2, 2; IV 1, 9 —, nunquam verbum finitum. Hoc mutatum est in posterioribus scriptis: exstirpatur prorsus participium, orationem vero inducit verbum finitum: cf. Conv. IV 22 ὑπέλαβεν; Hellenic. IV 1, 7 ὑπολάβοι. Ergo in hac quoque voce ipsa Xenophontis scripta progressum quendam continent.

Digitized by Google

Similem progressum in alia voce iam Anabasis praestitit. Nam si illud respicis, quomodo voce ἄρχεσθαι, de qua supra iam dixi, antecedentes scriptores usi sint, nil nisi participium eius invenies.

Iam luculentius apparet, quomodo inter se differant prosa oratio atque poesis: cognovisse iam Homerum meministi verbum finitum ἄρχεσθαι in locutionibus sicut ἦρχ' ἀγορεύειν, exhibebat nunquam tale quid Herodotus, admittitur denuo verbum finitum in Xenophonte. Ergo oratio soluta in Xenophonte primo assequitur, quod diu iam proprium erat poesis.

Denique maiore dicendi licentia Xenophon utitur in postremis quidem scriptis quam illi qui antecedebant historiarum scriptores.

Et hoc ipsum maioris licentiae studium cum id maxime curet, ut quam brevissimae adsint inductiones,[1]) transitus mihi datur ad disputandum, quo studio loquendi simplicitatem Xenophon appetiverit: et quidem hoc postremum studium grave est et inprimis Xenophontis proprium. Quod non modo ex illis verbis apparet, quae vocem describunt vel summam orationis comprehendunt, sed etiam ex aliis vocibus. De quibus nunc agam.

Iam in Anabasi illa verba rarescunt, quae a radice λεγ- derivata in Herodoto quidem et in Thucydide saepius usurpabantur: voces dico, quae sunt ἔλεξεν, ἔλεγεν, λέγει; cf. tabellam II. Sed etiam minus hae adsunt in posterioribus scriptis, praecipue in dialogis. Quamquam diversum accipit usum in dialogis unumquodque verbum. Nusquam enim voces ἔλεγεν et λέγει in dialogis inveniuntur,[2]) contra servatur quamvis paucis locis verbi ἔλεξεν usus. Porro ad hoc attendas, quod Hellenica tota se abstinent a voce λέγει:

1) Scilicet exhibetur pro longiore illa inductione ἤρχετο τῶν λόγων in Hellenicis etc. solum ἤρχετο, pro ὑπολαβὼν ἔφη simplex ὑπέλαβε, pro ἀρχόμενος ἔφη simplex ἤρχετο.

2) In Oeconomico solo verbum λέγει usurpatur: qua re ad prima Xenophontis opera hic dialogus denuo admotus videtur.

Digitized by Google

amatur vero hoc verbum in Anabasi et Cyropaedia; ergo in hac quoque re cum dialogis consentiunt Hellenica.

Iam ad finem fere perduxi, quod notabile habet Xenophonteus sermo.

Pauca tantum verba addam de vocis ἔλεγεν usu; et haec fere sufficiant. Non deletur in Xenophonte illa, quam in Herodoto et in Thucydide observabamus, temporis imperfecti in significatu subtilitas: immo manifestius tale quid statui potest in Xenophonte. Nam omnia cetera verba saepius accipiunt postpositum sibi verbum ἔφη cf. tabellam II: contra sola vox ἔλεγεν hanc additionem declinat. Adde illud, quod rarissime tantum in orationibus eis, quae verbo ἔλεγεν inducuntur, loquentis memoria iterata voce ἔφη resuscitatur: iam manifesto elucet, quam diligenter atque subtiliter Xenophon scripserit, quippe qui hoc ipso imperfecto quasi totum id tempus comprehenderit, per quod oratio pronuntiatur.

Ergo in hac quoque re ad finem perducit Xenophon quod aggressi erant antecedentes prosae orationis scriptores.

Cuius similia multa nobis occurrerunt. Primum enim verborum interpositionem, cuius initium iam Herodotus fecit, ad maiorem frequentiam Xenophon perduxit; item ad maiorem simplicitatem adegit verborum delectum; denique liberavit sermonem a vinculis illis, quibus tenebatur Herodoti sermo.

Nec tamen, ut ad extremum his in rebus sermo excoleretur et expoliretur, a Xenophonte effectum est; immo, quod aggressus erat Xenophon, perfecit Plato.

Sed priusquam ad hunc accedo, nonnulla verba addam de Xenophontis aliqua proprietate quae superest, eademque transitum dabit ad Platonem.

Nulla enim voce interiecta ab oratione separari solent voces ἔφη vel εἶπεν, si orationi praemittuntur: et quidem ita continuo ipsa oratio excipit verbum introductorium,

Digitized by Google

ut anteponatur semper subiectum verbo, cf. Mem. II 1, 1 .... καὶ ὁ Ἀρίστιππος ἔφη ⟨...⟩ Contrarium sane videmus Cyrop. III 2, 18; hic enim praemittitur subiecto οἱ Χαλδαῖοι inductorium ἔφασαν: et quidem hoc verbum rogationem directam sequitur inducitque responsum ⟨.... ὁπόσην ἂν θέλητε;⟩ ἔφασαν οἱ Χαλδαῖοι ⟨εἰ πιστεύοιμεν μὴ ἀδικήσεσθαι⟩. Attamen hic locus excusationem aliquam habet; antecendentes enim si percurrimus versus, eodem fere modo duobus locis idem verbum ἔφασαν admissum videmus: III 2, 17 ἔφασαν οἱ Χαλδαῖοι, similiter 18 συνέφασαν καὶ τοῦτο; nec tamen hic directam orationem inducit vox ἔφασαν, sed significat „affirmabant“: ergo recte his locis verbum subiecto praeponebatur. Unde eo facilius eadem verborum collocatio in eum, de quo agimus, locum poterat deferri, cum hoc postremo quoque loco eadem accipi possit verbi ἔφασαν notio, quae est „affirmabant“. Sic aliqua ratione huius loci singularis status explicatur: attamen adest inaccurata aliqua loquendi forma.

Atque huius rei similia in aliis quoque scriptis Xenophonteis inveniuntur eademque attingere nonnunquam videntur genus aliquod dicendi, quod accurato stilo omnino caret. Illos dico locos, quibus colloquium aliquod in aliud, hoc in tertium inseritur nec tamen separantur accurate loquentium partes. Quod manifestissimum est in Xenophontis Oeconomico: ubi Socrates cum Critobulo collocutus alterum narrat colloquium, quod habebat cum Ischomacho, hic vero tertium, quod habebat cum uxore. Haec omnia colloquia cum directa oratione referantur, bis narratoris status mutatur. A scriptore ipso ad Socratem transfertur, inde ad Ischomachum. Atque quaestio nunc iam exsistit, quomodo huic difficultati Xenophon satisfecerit. Incertum eum videmus. Nequit enim per totum Ischomachi cum uxore colloquium oratoris partes soli Ischomacho tribuere. Licet enim explicetur propositi novitate illud ἔφη — scilic. ὁ Ἰσχόμαχος —, quod initio colloquii

Digitized by Google

VII 10 Socratem denuo narrantem inducit, certe molestum hoc verbum nobis est. Nam ubi primum loqui exorsus est Ischomachus, usque ad finem orationis oratoris partes ei tributae sunt: ita nos quidem putamus. Attamen excusationem aliquam habet huius primi loci usus: agitur enim hoc loco de iterationis illo usu, de quo supra locutus sum cf. p. 42. Gravius est c. VII 18; nihil enim turbaverat usque ad hunc locum orationis aequabilem decursum, nunc vero turbari incipiunt loquentium partes: nam pro Ischomacho Socrates denuo narrationis locum occupat. Vix enim oratio recte inducta erat posita voce ἔφην, cum deletur simplex sermo locutione ἔφη φάναι — scil. ὁ Ἰσχόμαχος . . . . Nec haec loquendi turbatio sufficit Xenophonti. Gravius est saepius mutari loquendi formam quam semel: recipitur illud ἔφη φάναι in c. 22 verbo φάναι, in c. 23 locutione ἔφη φάναι, deinde vero ἔφην denuo apparet — c. 30 — eo modo, ut succedant in c. 30 verba ἔφη φάναι. Nec minus vexat illud ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος in c. 38: praesertim cum postremis Ischomachi verbis VII 43 τοιαῦτα μὲν ὦ Σώκρατες δοκῶ μεμνῆσθαι αὐτῇ τὰ πρῶτα διαλεχθείς totum colloquium ab hoc ipso Ischomacho relatum esse aperte statuant.

Iam certe quaeritur, unde effluxerit haec dicendi inconstantia. Imitationem illam memineris cottidiani sermonis, memineris inprimis interpositionis iterationem: certe concedes similem valere hic quoque auctoritatem. Sed molestum his fit locis, quod tolerandum erat in illis desideramusque accuratum sermonem.

Similiter res se habet in Platonis Convivio atque Parmenide. Narrant enim Apollodorus in Convivio, Adimantus in Parmenide colloquia aliqua, quae ipsi audiverant ab aliis: Apollodorus ab Aristodemo, Adimantus ab Antiphonte; ergo agitur non de pluribus colloquiis, quorum aliud in aliud inseritur, sed de uno tantum. Attamen similitudo quaedam adest inter hos dialogos et Oeconomi-

Digitized by Google

cum; nam hic quoque duo gradus distinguendi sunt, quorum priorem principalis narrator occupat — Aristodemus scil. vel Antiphon —; secundum is, qui idem colloquium iterum narrat — scil. Apollodorus vel Adimantus. In Oeconomico deinde potestatem dicendi Socrates fecit Ischomacho: ergo is, qui iterum quasi narrabat, primas partes tribuit principali narratori. Quod permutatum est in Platone. Nam in utroque dialogo ipsi loqui pergunt, qui iterum narrant: Apollodorus videlicet et Adimantus; nam suo ipsi reddunt ore, quae acceperant a principali narratore; itaque in inductionis formula ἔφη φάναι — scil. ὁ Ἀριστόδημος τὸν Σωκράτη . . . — traditionis gradus semper apparent. Attamen hoc immutatum est in solo initio: diutius tales formulae ut ἔφη φάναι in Parmenide retinentur, prius in Convivio simplex verbum perrumpit — ἔφη ὁ Σωκράτης . . . —; scilicet primus ipse narrator verba referre incipit. Et quidem similibus locis in utroque dialogo hic transitus fit: nam et in Symposio 174 A — ἦ δ' ὅς — et in Parmenide 129 F — ἔφη — eis id accidit locis, quibus iteratur orationis inductio atque loquentis memoria. Nec hoc mirum. Nam ubi oratio aliqua inprimis alacrior longius perdurat, ad ipsum tempus ipsamque personam oratoris scriptor facile appropinquatur. Nec tamen in hac forma sibi constat sermo. Immo statim paene ad prius illud ἔφη φάναι vel simile utrique dialogi redeunt, deinde rursus admittunt quamvis paucis locis alteram loquendi rationem. Itaque neutrum dicendi genus regnat atque praevalet. Et in hac re plane consentit Plato cum Xenophonte: dissentit vero in ea, quod apud Xenophontem in imperitia quadam dicendi hoc positum videtur, de quo agimus, inductionis genus, apud Platonem vero originem deducit idem genus ex maioris simplicitatis studio.[1]) Recidit Xenophon in sermonem, quem iam spreverat: contra molestum sermonis vinculum destringere conatur Plato, in conatu vero ipso

1) Scilicet pro longiore formula ἔφη φάναι Plato simplex appetit ἔφη.

Digitized by Google

inhaerescit. Qua re paulo superiorem stili formam attigisse videtur Plato.

Iam ad hunc ipsum accedo.

Quamquam veri est simile iam ante Xenophontem scribendi initium Platonem fecisse, tamen non sine causa hunc scriptorem adhuc omisi. Etiam severius enim quam Xenophon ab omni praecedentis aetatis auctoritate abhorrens eum ad finem perducit progressum, ut verborum delectum quam angustissimis includeret terminis.

Cui rei id maxime favebat, quod solos dialogos Plato scripsit. Quocirca inserere nonnulla liceat verba de hoc litterarum genere.

Antecedant pauca verba de eius origine. Dialogi forma ad duos respicit fontes. Illi enim dialogi, qui narrantur, ad historiam respiciunt; ei vero, qui dramatice ficti sunt, ad mimos illos qui Sophronis dicuntur quique illud maxime appetunt, ut diverbia fingant ipsi vitae accommodata: qua via multa accipiunt ex sermone cottidiano sumpta.

Inter has formas dialogi illi fluctuant qui prosa oratione scripti sunt.

Quarum formarum ad primam Xenophon quippe historicus propensus est, ad secundam vero Plato. Nam plerumque quidem dramaticos dialogos Plato scripsit; porro in ceteris quoque eius dialogis indicia aliqua adsunt, quae ad secundam illam formam respicere videntur. Xenophon enim in ipsis dialogis non omne respuit, sicut videbamus, historiarum genus dicendi, contra sequitur Plato magis quam Xenophon populi sermonem: et hoc quidem ex ea re apparet, quod omnem fere spernit inductionum varietatem, cf. p. 56.

Et augetur hoc studium alia re, quae ipsa quoque ex dialogi natura orta esse videtur.

Etiam magis enim quam in Xenophonte severas philosophiae partes dialogus apud Platonem sequitur: sci-

Digitized by Google

licet longae cogitationes in sermones alternos dissolvuntur. Quo factum est, ut nulli in his dialogis animi motus pingantur, nulli dumtaxat tam graves et rudes, ut indicari possent exclamationibus. Ergo locus non patet vocibus talibus ut *βοᾷ*, *ἐφθέγξατο* vel similibus. Porro orationum argumenta ipsa gravia sunt; scilicet agitur semper fere de talibus rebus, quae ad ipsam philosophiam pertinent: qua de causa illae desunt voces, quae orationis argumentum describunt. Voces dico *ἐπεύξατο*, *ἐκέλευσεν* similia.[1])

Attamen haec omnia verba si omittis, iam illa supersunt, quae orationem sequentem cum praecedente conectunt: qualia sunt *ἀποκρίνεσθαι*, *ὑπολαμβάνειν* similia. Etiam haec verba Plato plane respuit: cuius rei ego solam hanc causam invenio, quod studiose imitari vult Plato sermonem cottidianum. Hominem enim plebeium ubi orationes directas refert, fere ipsis verbis dicendi solis has orationes inducere cottidie observamus. Paucae tantum praeterea voces admitti solent. Quocum cohaeret, quod in Platone praeter ipsa verba dicendi duae tantum aliae voces leguntur: primum interrogandi verba *ἐρέσθαι* vel *ἐρωτᾶν*, deinde verbum *ἄρχεσθαι*: et interrogandi quidem verba nostris quoque temporibus in sermone cottidiano saepius usurpantur, de verbo *ἄρχεσθαι* vero, qua de causa ad vulgarem sermonem pertineat, supra iam vidimus.

Ergo a sublimitate illa arte exculta, quam in Homero hoc genus dicendi habebat quamque Herodotus et ipse Xenophon non plane respuebant, in cottidiani sermonis regionem Plato descendit et ad finem perducit illum artis decursum, cuius initium fecit Herodotus.

Sed aliunde quoque apparet, quatenus ad vitae sermonem se appropinquaverit Plato. Addit enim ad verba illa dicendi nobis iam nota, quae sunt *εἶπεν*, *ἔφη* similia, novam aliquam locutionem: formulam dico *ἦν δ' ἐγώ* vel *ἦ δ' ὅς*.

1) Contra inveniuntur talia apud Xenophontem in ipsis Memorabilibus, cf. p. 46.

Digitized by Google

Quae unde orta sit, perspiciamus nunc oportet. Persecutus eram poesis sermonem usque ad Euripidem; nihil adhuc dixi de Aristophane. De hoc poeta nunc nonnullis liceat agere verbis.

Multis rebus Aristophanes coniunctus est cum antecedentis poesis sermone. Exhibet enim ἐξηύδα plane poeticum Acharn. 1183; porro orationis vocem respicit in locutionibus talibus ut ᾖσαι Equ. 529; μέμψεται Av. 137; ἱκετεύουσι Vesp. 556; στωμυλεῖται Equ. 1376; ᾔκασεν Vesp. 1308; ἀνέκραγον Equ. 642; 670; verbum εἶπεν denique non saepe usurpat, 5 iens.

Alioquin vero nova irrepunt in Aristophanem. Nec id mirabitur, qui comoediae ortum respexerit. Tragoedia enim multo magis quam comoedia ortum cepit ex solemnibus ludis, unde propriam gravitatem eius sermo nactus est; qua de causa nunquam fere tragoediae genus dicendi a lyricorum sermone decessit, cf. p. 20. In comoediam vero quippe ex populi lascivis ludis et iocis ortam fieri non poterat quin multa ex populi ipso sermone se insinuarent. Accedit quod sui temporis res tractabat comoedia. Ergo ex populi sermone sumpta verba eademque attica certe exspectare debemus.

Nec decipimur. Nam interponitur orationi in Aristophane Lys. 525 vox εἶπεν quem usum Xenophon in Cyropaedia primum usurpabat, nunquam in Anabasi.[1])

Porro postponitur orationi vox ἔλεγεν Vesp. 280. Quo ex usu licentia quaedam sermonis apparet, quam multis saeculis post prosa oratio consecuta est.

Tertia denique res, quae novatur, ad illud nos reducit verbum, quod ad hoc deverticulum invitavit. Interponitur enim orationi in Aristophane Equ. 634 locutio ἦν δ' ἐγώ; Lys. 515 ἦ δ' ὅς ἄν ἀνήρ[2]). Hanc vocem ipsam iam Ho-

1) Scilicet iam Io novit huius vocis interpositionem; attamen illa conferas, quae p. 33 dixi de peculiari huius scripti genere.

2) Conferas ea, quae de hac formula Ludwichius disseruit in commentariolo, cui inscripsit „Die Formel ἦ δ' ὅς" in Mus. Rhen. XLI

Digitized by Google

merus habebat in abruptionis formulis ἦ καὶ . . . vel ἦ ῥα καί . . . Il. I, 219; III, 310,[1]) nunquam vero in inductionis formulis: ea certe de causa, quod tam parva et levis videbatur haec formula, ut ne aliis quidem additis verbis totum versum facile compleret. Eademque res in Atticorum sermone id mihi effecisse videtur, ut semper addantur ad verbum ἦ pronomina ἐγώ vel ὅς: quae ipsa pronomina tam arte deinde cum ipso verbo coalescebant, ut iam non acciperentur pro subiecto: ergo addi poterat Lys. 315 novum aliquod subiectum ἀνήρ quasi si ὅς non adesset. Unde facile conicies, quam vetus illa fuerit vocis ἦ cum pronomine coniunctio. Itaque vivida iam diu in populi ore versata erat haec formula, cum inseruit eam Aristophanes sive alius quis comicorum — cf. Cratinum apud Athen. III, 94 f — ipsi litterarum sermoni. Effecitque Plato in prosa oratione, quod ille in poesi.

Unde apparet planissime Platonem ipsum quoque totum suspensum fuisse ex cottidiani sermonis imitatione.

Sic tandem verba percensui, quibus, ubi orationes inducit, Plato uti solet et satis me ostendisse puto, unde ortum sumpserint, quae hac in provincia novavit.

Iam vero haec omnia verba eorumque usum per dialogos persequamur.[2]) De eorum serie multis quidem in rebus dissentiunt viri docti: attamen illud inter omnes constat initum fecisse scribendi Platonem a dialogis mi-

p. 437, ubi id vir doctissimus persequitur, quas depravationes subierit huius formulae notio per saeculorum decursum: et quidem sequitur Ludwichius in hac quaestione grammaticorum testimonia.

1) cf. R. Schau: de formulis, quas poetae Graeci in conclusione orationis directae posuerunt. Tilsit. 1890 p. 10 sq.

2) In Platone quoque illud tantum persequor, quod ex orationum iuductione mihi videor effecisse. Virorum doctorum ea scripta, quae de Platonicorum operum ordine disputant, ex magna quidem parte enumerata vides in Christii litterarum historia ed. 3 p. 431. Adde nunc Pauli Natorp egregium opus: Platos Ideenlehre, Lips. a. 1903. Ceterum de iis nimirum solis dialogis loquor, qui narrando explicantur; omitto illos, qui fabulae instar personas loquentes inducunt.

Digitized by Google

noribus Lysi et Charmide. Hinc igitur nos quoque incipere debemus.

Statim in Lysi Platonis genus dicendi a Xenophontis sermone aperte digreditur: cf. infra tab. III. Praestat quidem in Lysi ceteris vocibus verbum ἔφη, quae eadem vox in Xenophonte regnabat, attamen de palma cum voce ἔφη contendit altera locutio quae est ἢ δ' ὅς:[1]) attingit enim paene haec formula frequentiam verbi ἔφη: porro etiam saepius quam ἔφη eos occupat locos, quibus solo ἔφη Xenophon utebatur. Eos locos dico, qui inprimis interpositionem postulabant; quo pertinet in transitu interpositio, porro duplicata illa et iterata inductio: quibus omnibus locis deest verbum ἔφη in Lysi, exhibetur vero locutio ἢ δ' ὅς.

Accedit quod prorsus fere disparuit in Lysi verbi εἶπεν usus: idem vero verbum saepissime in primis quidem scriptis Xenophon usurpabat.

Transeo ad ceteros dialogos. Ad Lysim prope se applicat Charmides. Dehinc vero magis magisque imminuta vides illa, quae dixi Platonici sermonis propria. Manent quidem semper, quae intercedant discrimina inter Platonem et Xenophontem eademque gravia sunt et multa; attamen proprius Plato ad Xenophontis sermonem appropinquatur.

Primum enim minus valere coepit locutio ἢ δ' ὅς:[2]) nam et rarius haec vox in universum exhibetur et occupantur illi loci, de quibus supra dixi — scilicet ei loci, quibus obliqua oratio in directam transit etc. — magis magisque a verbo ἔφη.[3])

Porro augetur verbi εἶπεν usus.

Accedit tertium illud, quod saepius vox εἶπεν interponitur: haec quidem maior verbi εἶπεν licentia solius

1) Sumas brevitatis causa hanc formam pro duabus illis, quae sunt ἦν δ' ἐγώ et ἢ δ' ὅς.

2) Inde nescio an conicere liceat iam ante Platonem vocis ἢ δ' ὅς frequentiam in populi sermone summum culmen ascendisse.

3) Hoc manifesto apparet ex iterationis usu; cf. tabellam III.

Digitized by Google

Platonis propria videtur; rarius enim in Xenophonte admittebatur.

Iam si dialogos ipsos examinamus, haec fere videmus.

Ad summum haec omnia, quae modo enumeravi, in Parmenide ascendunt. Prope accedit ad Parmenidem Convivium. Antecedunt Parmenidi et Convivio ceteri dialogi, qui vel hac vel illa re progressum sermonis continent. Primus eorum dicendus mihi videtur Protagoras: habet enim nunquam vocis *εἶπεν* interpositionem;[1]) attamen iam plane diversus est a Lysi et Charmide; minus enim quam in his dialogis in Protagora vox ἦ δ' ὅς exhibetur, saepius vox *εἶπεν*, saepius denique vox ἔφη in iterationis usu. Ad Protagoram prope se applicat Euthydemus nisi quod verbum *εἶπεν* bis orationi interponitur; sequitur Phaedo, qui apertius respuit vocem ἦ δ' ὅς, Respublica denique, qui dialogus saepius interponit verbum *εἶπεν*.

Semper vero hoc respiciamus, qua dispositionis forma unusquisque dialogus utatur.

Certe hoc, quod raro locutio ἦ δ' ὅς in Convivio legitur, illa re satis explicatur, quod in hoc dialogo orationis obliquae formam induere solent inductiones: ergo per infinitivum plerumque quidem scriptae sunt nec vero derivabatur a voce ἦ δ' ὅς infinitivi forma. Haud vero scio an eadem causa sufficiat, ut Parmenidis sermo peculiaris explicetur; omnino enim contemnit hic dialogus locutionem ἦ δ' ὅς: nam illis ipsis locis, quibus in directa oratione inductiones redduntur — scilicet legitur *εἶπεν*, ἔφη — illa nunquam usurpatur; quod non satis mirari possum; nec tamen diiudicare audeo num propterea obeli notam postulet hic dialogus.

Deinde quod in Protagora, Phaedone, Convivio, Parmenide ubi habetur dialogus saepius ad verbum ἔφη subiectum adicitur — ἔφη ὁ *Σωκράτης* —, id hac re explicatur, quod

1) Accedit quod semel tantum inversionis usum Protagoras habet: cui usui favent posteriores dialogi.

Digitized by Google

longae orationes ad aeque longas saepe annectuntur; cf. de Xenophonte p. 40.

Denique simplicitas aliqua dicendi facile exsistit, si eaedem semper inductiones iterantur: quod eis praecipue accidit locis, quibus breviusculae orationes sese excipiunt; hanc igitur simplicitatem dicendi ut tollat duo artificia adhibet Plato: primum inversione utitur, de qua disputare nunc quidem supersedeo, deinde addit ad locutionem ἦ δ' ὅς ipsum subiectum: et quidem maxime occurrunt haec duo artificia in Euthydemo atque Phaedone. Pergo ad cetera verba.

Parvum esse verborum delectum supra iam in universum statui. Hoc exemplis nonnullis nunc illustretur; cf. infra tabellam IV. Raro tantum verba rogandi admittuntur, raro ἄρχεσθαι, etiam rarius λέγει et ἔλεξεν, quae semel tantum in Convivio exhibentur; respuitur omnino imperfectum ἔλεγεν.

Maioris vero mihi quidem videtur momenti hoc. Nunquam verbum finitum ἀπεκρίνετο in dialogis sermonem inducit. Attamen non ignota haec vox Platoni fuit, immo in inductionis formulis ita eam usurpat, ut participium ἀποκρινόμενος ad verba dicendi addatur: ad ἔφη Charmid. 153 D, ad εἶπεν Protagor. 314 D; [1]) porro orationes eas nonnunquam vox ἀποκρίνεσθαι inducit, quae ipsae insertae sunt ipsius dialogi alicui sermoni: Protag. 344 A ἀποκρινόμενον; Republ. 330 A ἀπεκρίνατο. Quo ex usurpationis discrimine facile hoc elucet: exstirpatum esse hoc verbum a Platone in ipso dialogo eo consilio, ut simplex exhibeatur populi genus dicendi. [2])

1) Primitivam illam hic vides loquendi rationem, quam in Homero observavimus: ἀπαμειβόμενος προσέφη . . .

2) Simile quid in Cicerone invenimus quippe qui ad sermones eos inducendos, qui ipsius dialogi orationibus inseruntur, plures noverit formulas sicut „addidi" de orat. II 6, 24; „percontatur" ibid. II 63, 255 etc.; ipsius vero dialogi orationes sola voce „inquit" inducuntur: septem tantum exceptis locis, qui „incipiendi" verba habent: „exorsus est" similia.

Digitized by Google

Sequuntur aliae consuetudines, quibus in contraria abeunt Xenophon et Plato.

Primum raro tantum admissa est apud Platonem inductionis iteratio et duplicatio: in primis praecipue dialogis. Verum tamen in hac quoque re magis magisque appropinquantur Xenophon atque Plato. Conferas quaeso Xenophontis Memorabilia et Platonis Convivium: eodem fere numero frequentatam videbis interpositionem illam quam indicavi.

Deinde novam aliquam formam Plato habet, quae inusitata erat Xenophonti. Xenophon enim verbum *φησίν* tantopere respuebat, ut iis ipsis locis, quibus praesentis temporis forma *λέγει* orationi praemissa erat, orationi intercalaretur vox *ἔφη* — cf. Cyrop. I 3, 11 *καὶ ὁ Ἀστυάγης λέγει ⟨Ὁ δὲ σὸς πατὴρ⟩ ἔφη ⟨ὦ παῖ, . .⟩*; contra accuratiorem stilum Plato praebet: usurpat enim in huiusmodi locis vocem *φησίν*; cf. Symp. 177 A *περός με ἀγαναχτῶν λέγει ⟨Οὐ δεινόν⟩ φησίν*.

Praeterea anteponitur orationi verbum *φησίν* semel in Phaedone 84 D, interponitur in colloquio una cum subiecto ibid. 62 B.

Quibus absolutis iam ad posteriores pergamus.

Platonis exemplum secuti omnes fere omnium sectarum philosophi dialogos scribere instituerunt. Nec deerant, qui operam darent historiae. Attamen multa tantum nomina et pauca fragmenta[1]) veterem nobis testantur copiam.

---

1) Ex Aristotelis dialogorum fragmentis magna eruenda videtur vocis *εἶπεν* auctoritas: nam sex locis hoc verbum admittitur, septem locis verbum *ἔφη*. Sed his numeris non tantum esse confidendum puto: sumpti enim sunt ex fragmentis fortuito servatis.

Maioris vero momenti videtur, quod semel tantum anteponitur orationi vox *εἶπεν* — frgm. 40 ed. Val. Rose —, interponitur vero quinquies — frgm. 83 —. Sic ad finem aliquem Aristoteles eam rem perduxit, quae amabatur iam in postremis Platonicis dialogis.

Digitized by Google

Ergo Alexandrinum tempus appetamus. Quamquam rarescunt hic dialogi atque historiae. Contra efflorescere coepit denuo cum veterum poetarum grammatica tractatione ipsa poesis.

Homerum inprimis poetae sequebantur. Simul tamen novum aliquem ornatum epicum genus assumpsit: poesis enim illa oriebatur quae semper fere depravatis temporibus nasci solet. Eam dico, quae desiderio movetur naturae simplicitatis.

Haec ipsa poesis in Theocrito exstat, illa vero Homeri imitatio in Apollonii Argonauticis.

Pauca sufficiant de Argonauticis verba; nam nihil fere habent nisi Homeri sermonem: nisi forte id excipis, quod non cum praepositione *προός-* vel *μετα-* vox *εἶπεν* composita est paucis quidem locis cf. II 411; 1201; item vox *προσελέξατο* usurpatur III 426, quae vox prope admota videtur ad atticum verbum *ἔλεξεν*. Ergo nihil fere novavit Apollonius. Novavit contra Theocritus.

Exhibet quidem multa Theocritus, quae ex poetarum veterum sermone assumpta esse videntur; poetica verba sunt *ἄειδε* XI 17 ed. Ahrens; *μυθήσατο* XIX 6; *ἄϋσεν* XIX 47; *ἐπέκραγε* XIX 34; *ἀγόρευε* VIII 5; 83; *ἀμείβετο* I 93; VIII 8; VII 27; XIX 72 — non *ἀπεκρίνατο*; porro anteponit orationi plerumque quidem verbum *εἶπεν*: 6 iens.

Attamen interponitur aliis locis vox *εἶπεν*: primum in ipso dialogo XIV 22, deinde XXI 19, ubi separatur verbum a subiecto: *Αὐτονόα* ⟨*τόδ'*⟩ *ἔειπε*[1]) ⟨. . . Cuius simile fit in voce *ἔφη*, nisi quod paulo frequentius et liberius quam *εἶπεν* hoc verbum interponitur: separatur enim bis ab eiusdem sententiae ceteris verbis VII 43 et 120; contra praemittitur orationi I 82 et XVII 65.

1) Hunc liberum usum, ut verbum *εἶπεν* ab eiusdem sententiae verbis separetur, semel tantum in Xenophonte invenimus, nusquam in Platone: ergo in maius aucta videtur in Theocrito sermonis licentia.

Digitized by Google

Sic in poesim quoque irruere videmus Atticorum genus dicendi.

Attamen revertamur ad orationem solutam.

Historiarum fragmenta si perscrutamur, hoc fere videmus. Sequitur Timaeus[1]) Atticorum exemplum: iterat enim inductionem — frgm. 127 — et solum verbum ἔφη novit — 8ies —, praeterea nullum verbum; ergo ad finem perducta videtur in Timaeo simplicitas illa, quam appetebant ipsi Attici.

Contra Phylarchus eundem locum verbis ἔφη et εἶπεν tribuit; nam utitur voce ἔφη tribus locis, ter quoque verbo εἶπεν: et anteponitur quidem orationi semper εἶπεν — frgm. 8, 23, 40a —, semel ἔφη — frgm. 6. Praeterea semel verbum φησίν Phylarchus adhibet — frgm. 38 —, semel infinitivum φῆσαι — frgm. 8.

Itaque huius temporis[2]) genus dicendi, quale novi-

1) Nihil fere ex antecedentis temporis fragmentis discimus nisi hoc fortasse. Poeticis formulis usus esse videtur Theopompus cf. frgm. 70 ῥαγῆναι φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ; attamen tribuendam esse hanc locutionem equidem puto Diogeni Laertio, qui Theopompi affert dictum, quod illa formula inducitur; saepius enim inferioribus temporibus haec formula usurpatur: cf. Appian. d. bell. civ. II 81 τοσοῦτον ἀπέρρηξεν; Charit. I 8, 3 ἔρρηξεν φωνήν; Eusthat. III 1, 3 κατερράγη φωνή: nunquam vero ante talia inveniuntur.

2) Eisdem fere temporibus Teles scripsit, nec tamen audeo totum eius sermonem, quem novimus ex excerptis, huic, de quo agimus, tempori tribuere: haud enim scio, quantum ipsi Teleti, quantum epitomatori tribuendum sit.

Certe adest cottidianus sermo: hoc ex iis locis elucet, quibus idem verbum statim iteratur: quod nunquam fiebat apud Atticos cf. p. 44 ed. Hense v. 14 ⟨εὖ γε ὦ τέκνον⟩ φησί ⟨τούτου γὰρ ἕνεκά σε⟩ φησίν ⟨ἐγέννησα . . .; item ex ea re, quod nulla particula — καὶ vel δὲ — interiecta sequens inductio succedit nonnunquam antecedenti, cf. p. 8 v. 15 ⟨μνᾶς⟩ φησὶν ὁ μυροπώλης. ἀνέκραγε — scil. ὁ Διογένης — ⟨πολυτελής γε ἡ πόλις⟩; similiter scriptum est p. 9, 2 ⟨χαλκοῦ⟩ φησίν· ἀνέκραγεν ὁ Διογένης ⟨εὐτελής γε ἡ πόλις⟩.

Nec tamen totus Teletis sermo vulgaris dicendus est: interponitur enim semper fere verbum φησίν — 18ies —, praeponitur

Digitized by Google

mus ex his fragmentis, nondum attici sermonis terminos excedit. Eosdem vero terminos servat etiam Polybius.

Attamen pauca tantum Polybius exhibet, quae ad nostram quaestionem pertinent; minus enim quam Herodoto atque Thucydidi id Polybio curae est, ut personarum, de quibus agit, indolem describat, nec tam rhetor Polybius fuit quam aequales: quo factum est, ut paucae tantum orationes narrationi insertae sint.

Nec quid novi ex Polybio discimus. Plerumque enim verbum ἔφη hic scriptor habet — 5 lens — quae vox separatur semper ab eiusdem sententiae ceteris verbis; duobus deinde locis vocem εἶπεν admittit, quae semper praeponitur orationi — I 80; II 8 —; accedunt verba εἶπεν III 85, 8; λέγει III 25, 7; ἐπειρᾶτο παρακαλεῖν καὶ διδάσκειν IV 22, 9; προσεῖπε IV 95, 2.

Sic Polybii sermo Xenophontei sermonis, scilicet historici, maxime similis videtur, nisi quod ea verba paulo magis Polybius amat, quae longius remota sunt ab ipsis verbis dicendi.

Ergo variatur denuo verborum delectus. Hoc etiam magis fit apud posteriores.

Cito percurramus proximum tempus. Nec prius pedem sisto quam eis temporibus, quibus sub divi Augusti imperio historias scripsit Diodorus, Dionysius vero Halicarnasseus archaeologiam quam dicimus romanam. Hic novum ornatum accipit sermo: nam misceri incipiunt plurium fontium auctoritates. Et magnum quidem verborum delectum Dionysius novit, paulo minorem Diodorus.

---

semel: quae ipsa interpositio rarissime tantum in vulgari sermone legitur, quem exhibent Septuaginta, Novum Testamentum, Hermas, Pseudocallisthenes.

Itaque mixtum praebet Teles genus aliquod dicendi, idemque sermo audax videtur, quia etiam versui inseritur verbum φησίν p. 33, 4: quo loco verbis metrice scriptis antecedit statim oratio soluta. Hunc ipsum usum quippe liberum postero tempori — scil. epitomatori — tribuo. Contra ad prius tempus respicit, quod non interponuntur εἰπεῖν p. 35, 11; εἰπόντος p. 12, 9; λέγοντος p. 21, 12.

Digitized by Google

Iam Diodorum adeamus. Ad Atticos maxime hic scriptor admotus videtur nec tamen ad eundem illum sermonem, quem novimus ex Xenophonte et Platone, sed ad mutatum aliquem et longius progressum.

Iam in ultimis Platonis dialogis usitatam nonnunquam videbamus formam *φησίν*, eadem forma in Phylarcho quoque aderat, saepius nunc in Diodoro admittitur: nam quinque occupat locos XIII 28, 5; XV 87, 6, 6; XVII 51, 2; XX 78, 2.

Maioris momenti aliud est, quod ad collocationem verborum pertinet. Memineris certe hoc, magis magisque id appetisse Xenophontem, ut separaretur verbum ἔφη in ipso dialogo a suo subiecto. Frequentatur nunc hic ipse usus in Diodoro prae altero illo, qui subiectum una cum verbo interponebat: nam separatur in Diodoro verbum ἔφη unico quo adest loco XIII 28, 6 a suo subiecto.

Accedit tertium, quod maior aliquis interpositionis amor ex Diodoro elucet. Ubique enim apud eum illo, quem modo commemoravi, loco excepto non de faciliore illa interpositione agitur, quae in ipso dialogo verba interponere solet, sed de graviore altera, quae separat verbum inducens a ceteris eiusdem sententiae verbis — scilicet singulae orationes narrationi inseruntur. Hoc quinquies accidit in voce *φησίν* XIII 28, 5; XX 78, 2; XV 87, 6, 6; XVII 51, 2; quater in voce *εἶπεν* XII 19, 2; XVII 51, 1; 66, 7; 51, 2.

Iam si totum interpositionis usum respicimus, praevalere videmus in Diodoro ipsum Atticorum exemplum: interpositionem enim amat verbum ἔφη — semel — et *φησίν* — 5 lens —: scilicet semper orationi interponuntur haec verba; praepositionem verbum *εἶπεν*: nam in summa hoc verbum 15 lens usurpatur, interponitur tantum quattuor locis; idemque fere discrimen apud ipsos Atticos inter ἔφη et *εἶπεν* intercedebat.

Digitized by Google

Itaque eam viam Diodorus terit, quam ingressi erant Attici. Quo pertinere videntur inductiones quoque quae sunt διελέχθη III 42, 2 et ἤρξατο XIII 92, 3; porro frequens fortasse genetivi absoluti usus:[1]) cf. εἰπόντος XII 19, 2; XV 87, 6; ἐπερωτῶντος XV 6, 4; XVII 117, 4; ἐρωτήσαντος XV 6, 6.

Sed multa alia leguntur in Diodoro, quae ab attico usu abhorrent.

Omittas illud, quod neque iteratur inductio neque duplicatur; gravius est, quod omnibus ceteris dicendi vocabulis longissime antecellit vocabulum εἶπεν: usurpatur enim haec vox 19 locis, contra ἔφη semel tantum. Iam vero hoc monendum videtur: dialogi maxime propria erat vox ἔφη apud Atticos; qua re non mirum hoc videri potest, quod ea rarescit in Diodori historiis, ubi nulli fere exhibentur sermones alterni. Attamen haec excusatio non valet. Nam verbi εἶπεν usum ubi perspicio, saepissime hanc vocem admissam video, ut etiam dialogi aliquem sermonem inducat: 7 lens XI 6, 2; XV 87, 2; XVII 4, 8 etc.

Eoque magis haec vox εἶπεν praevalet et regnat, quia prorsus deletae sunt illae voces quae a radice λεγ- derivantur: ἔλεγεν, ἔλεξεν, λέγει[2]).

Nec vero illam simplicitatem dicendi, quam exhibebat Timaeus vel Phylarchus, Diodorus retinuit.

---

1) Nec tamen hunc usum ad ipsum Xenophontem pertinere pro certo utique habeas; hoc fere dicendum erat: respicere hunc usum ad sermonem aliquem, qui arte quadam exculta singulas conexuit sententias.

2) Haec res — quod desunt ἔλεγεν etc. — alicuius momenti videtur. Nam in lucem hac re effertur, qua via processerit inde ab Xenophonte atticae historiae genus dicendi. Polybium respicias illorumque historicorum fragmenta, de quibus supra dixi: nusquam invenies talia verba ut λέγει, ἔλεξεν, ἔλεγεν. Adde quod iam in Xenophontis Hellenicis oblitterata erat vox λέγει. Iam hoc elucet: perfecisse aliquo modo Alexandrini temporis historias eum ad simplicitatem progressum, qui aderat iam in Xenophontis atque Platonis scriptis.

Digitized by Google

Hoc inde elucet, quod alias quoque formulas adhibet cf. *ἀνεβόησεν* XVII 51, 3; XIX 41, 1; 97, 3; *βοώντων* XX 63, 5; accedit verbum *ἐπερωτᾶν* XI 6, 1; XV 6, 4; 6, 6; XVII 117, 4; XX 14, 6: contra semel tantum verbum *ἐρέσθαι* XVIII 66, 5.

Ex quibus ipsis verbis illud quoque apparet, unde vocis *εἶπεν* amorem Diodorus sumpserit. Nam hoc fere solo verbo ad orationes inducendas ille vulgaris sermo utitur, quem novimus ex Vetere Testamento similibusque scriptis: habet idem vulgaris sermo ex verbis interrogandi solum *ἐρωτᾶν*, nunquam *ἐρέσθαι*: amat idem sermo vulgaris verba clamandi.

Ergo hoc fere dicendum de Diodori sermone: praevalet Atticorum auctoritas; et quidem regnat haec auctoritas maxime in verborum collocatione; valet in verborum delectu sermo vulgaris.

Accedit alia auctoritas: latinum dico sermonem. Si enim Latinorum orationis solutae priscos scriptores percurris — Catonem dico quique eum imitatur Salustium —: saepissime ea verba usitata videbis, quae pluribus vocibus actum ipsum dicendi circumscribunt: cf. Cat. de agric. c. 139; 141, 4, 4 „sic verba concipito“. Sal. Catil. 20; 52; 57 „orationem huiuscemodi habuit“ Bell. Jug. 102 „verba fecit“; ibid. 9 „huiuscemodi verba habuisse“ etc. Huiusmodi vero locutiones nusquam adhuc apud Graecos legimus, contra habet talia Diodorus: cf. XIV 64, 5 *ἀπετόλμησε τοιούτοις χρήσασθαι λόγοις*; XIII 28, 1 *τῶν λόγων τὴν ἀρχὴν ἐντεῦθεν ἐποιήσατο*: constat vero hunc Diodorum revera latine loqui didicisse — cf. eius l. I cap. 5.

Nec temere me hanc statuisse Latinorum auctoritatem alter ille scriptor comprobat, qui est Dionysius.

Dionysius enim ipse fontibus usus est, qui latine conscripti erant: cf. l. I c. 8. Quocum id consentit, quod multo frequentius quam Diodorus illa verba exhibet, de quibus modo egi; inveniuntur talia saepe: cf. *τοιούτοις ἐχρήσατο λόγοις* VI 59, 71, VII 39, 47; *τοιούτους διέθετο*

Digitized by Google

λόγους VIII 5; λόγον διεξῆλθε τοιόνδε IV 9, 10; XI 9, 29; τοιαύτην διέθετο δημηγορίαν VI 72; XI 7; ἦν δὲ τὰ λεχθέντα ὑπ' αὐτοῦ τοιάδε VI 83; ταύτην ἔδοσαν τὴν ἀπόφασιν VIII 10. Accedit, quod novae formulae in Dionysio leguntur, quae ad eundem fontem respicere videntur.

Quarum prima ex parte tantum suspicionem latinae originis movet. Illud enim si attendis, quomodo interpositionis usus processerit inde ab Herodoto, verbis ἔφη, φησίν, εἶπεν eum circumscriptum videbis. Nunc vero in Dionysio hic interpositionis usus ad participium quoque translatus videtur. Hoc tribus accidit locis: et quidem non ita alieni videntur ab Atticorum genere dicendi duo loci VI 19 et VII 25. Praemittuntur enim orationi his locis verba aliqua, quae quid sibi velit orator indicant, deinde interponitur orationi participium λέγων: cf. VII 25 . . . ὁ Μάρκιος αὐθαδέστερον ἤδη καθήπτετο τῶν δημάρχων καὶ θρασύτερον ⟨. . . .⟩ λέγων ⟨. . . .⟩; ergo hoc participium non pro vera inductione valet, sed eundem fere occupat locum, quem Atticorum illud ἔφη, quod inductionem geminabat, et translata tantum videtur Atticorum interpositio ad eum usum, quo addebat Herodotus participium λέγων ad omnia fere verba longius remota: ἀμείβετο λέγων similia. Contra ab attico sermone prorsus abhorret tertius locus I 87: ubi postponitur orationi participium εἰπόντα pro vera et sola inductione. Nam illud omittas, quod ne illi quidem graeci scriptores, qui per proximum tempus in maius augent interpositionis usum, eius modi postpositionem noverint, quae contraria certe est graeci sermonis characteri: inde enim ab Homero vel Herodoto semper id contendunt Graeci, ut distinguant orationis initium a narratione.[1]) Contra Latini magis in universum

1) Hanc normam ne illi quidem loci neglexerunt, quibus primum interponebatur verbum introductorium. Deinde vero ad maiorem libertatem interpositionis usus processit et in ipsa narratione exhibebatur: cf. καὶ ὁ Σωκράτης γελάσας ⟨. . . .⟩ ἔφη. Nec tamen unquam Graeci Latinorum attingunt licentiam: Latini enim non

Digitized by Google

propensi sunt ad interpositionem: quo factum est, ut frequentius dicendi participia orationi interponant. Iam apud Livium talia inveniuntur: VI 8, 1; IX 24, 9: „clamantem"; frequentius talia adsunt in poetis cf. Horat. sat. II 2, 16 „narrantem"; II 3, 283 „addens"; II 3, 62 „clamantibus".

Etiam manifestius vero Latinorum auctoritatem aliud prae se fert inductionum genus. Habet enim Dionysius IV 71 *ὑποτίθεται*, VII 16 *ὑποφέρει*[1]). Iam Herodotus tale quid novit, sed addidit semper ad vocem *προσέφερε* verba talia ut *λόγον τοιόνδε* III 134; V 30; VIII 100. Nec alibi in litteris graecis huiusmodi inveni locutiones nisi paucissimis tantum locis.[2]) Usitatissimae vero tales formulae apud Latinos sunt; accedit, quod saepe variantur. Hoc iam ex paucis his numeris elucebit: habet Varro de reb. rust. „suscipit" I 2, 24; 23, 1; II 11, 11; „subicit" I 7, 2; Cicero de orat. II 6, 24 „addidi"; Corn. Nep. XXIII 2, 2 „adiunxit"; Livius I 7, 2; X 9, 5; XXXVIII 53 „adiecit"; XXXV 14, 11 „subiecit": quem usum sequuntur posteriores scriptores.

---

modo verbum „inquit" semper interponunt sed etiam orationem tam arte nonnunquam cum narratione conectunt, ut ad eius constructionem oratio ipsa annectatur: cf. Apuleium ed. v. d. Vliet p. 243, 28: „nec latius a se discedere passus est ⟨priusquam⟩ inquit ⟨ . . . .⟩. Simili modo vox „et" orationi antecedit eamque quasi coniungit cum narratione iam in Cic. de. or. II 33; cf. Curt. Ruf. „itaque" III 6, 12; IV 2, 5; V 9, 9; „et" V 2, 20. Hunc ipsum usum, ut orationi antecedat *καὶ*, interponatur verbum inducens, apud Graecos in Appiano primo inveni d. b. civ. II 130; IV 22, nusquam antea.

1) Similis adest, locus VI 66: *τέλος ἐξήνεγκαν τῆς ἑαυτοῦ γνώμης τοιόνδε.*

2) Unum tantum locum inveni, qui ad antiquius pertinet tempus Maccab. III 5, 39; paululo plures postea inveniuntur: Appian. d. bell. civ. II 31 *ἐπετίθει*; Xenoph. Ephes. I 29. *προσέθεσαν*; Achill. Tat. *προσετίθει* V 10, 2; 12, 1; VII 11, 5; *προσετίθην* II 5, 2; *προσέθηκεν* VIII 17, 5. Itaque unius verbi angustis terminis hunc usum apud Graecos circumscriptum videmus.

Digitized by Google

Sic multa coeunt, ut in clariorem efferant lucem, quatenus Dionysius Latinorum auctoritatem subierit.

Praeterea manifesto hoc videmus: deletam esse in Dionysio Atticorum simplicitatem.

Attamen adsunt in hoc scriptore nonnulla quamvis pauca indicia, quae ad Atticos quoque respiciunt.

Frequentatur enim magis quam in Diodoro verbum ἔφη — 40 iens; porro saepe usurpantur cetera verba, quae ab radice φα- derivantur: ἔφησεν 19 iens, φησίν 10 iens. Attamen antecellunt his, quae enumeravi, verbis voces hae: εἶπεν — 42 iens, λέγει — 24 iens, ἔλεξεν — 18 iens, ἔλεγον — bis; accedit, quod prope admovetur verbum εἶπεν ad ἔφη in interpositionis usu: interponitur enim verbum εἶπεν 12 iens; contra anteponitur ἔφη 7 iens [1]): qui usus alienus erat ab Atticis.

---

1) Hoc antepositionis studium etiam magis auctum videtur in verbo φησίν, quippe quod quinquies orationi anteponatur. Aliter vero res se habet in voce ἔφησεν: bis enim tantum hoc verbum anteponitur.

Fieri non potest, ut taceam hic de re aliqua, qua sola fere certum quoddam dicendi consilium sequi videtur Dionysius. Nam ut hac re, quam modo indicavi, sic aliis quoque rebus aperte separantur voces ἔφη et ἔφησεν. Semel enim tantum verbum ἔφησεν usurpatur, ubi obliqua oratio in directam transit IX 52; ceterum aut separatur haec vox a ceteris eiusdem sententiae verbis — 13 iens — aut interponitur in ipso dialogo una cum suo subiecto VII 10; VIII 39; XI 4. Hic usus alienus videtur a voce ἔφη. Nec tamen statim de initio operis id invenit scriptor. In primis enim libris usque ad septimum in ipso dialogo nonnunquam vox ἔφη interponitur III 33; V 80; VI 60; item saepius separatur vox ἔφη a ceteris eiusdem sententiae verbis — 11 iens. Deinde vero mutatur vocis ἔφη usus. Semper enim fere nunc adhibetur aut in transitu — scil. ex obliqua orat. in dir. — 15 iens: ter in libris I—VI — aut in iteratione VII 17: contra nunquam in dialogo, nunquam denique ab eiusdem sententiae ceteris verbis separatur; unde quinque tantum excipiuntur loci; et tres quidem facilem explicationem habent; antecessit enim his locis revera orationibus eis, quas Dionysius refert, orationum prima pars: et quidem hoc ex eis verbis elucet quae antemissa sunt orationibus cf. XI, 26 οἱ δ' ἀσμένως δέχεσθαι

Digitized by Google

Itaque misceri incipiunt quae adhuc distincta erant [1]).

Accedunt alia eiusdem rei indicia.

Novit enim Dionysius atticum duplicationis usum in l. VII 16: ubi praemittitur orationi formula *ἠρώτησε τοιάνδε τινὰ ἐρώτησιν*, deinde interponitur verbum *ἔφη*; aliis vero locis ille Herodoti usus exhibetur, quo participium *λέγων* addebatur ad ipsa inducendi verba, qualia inveniuntur IX 42 *ὠνείδιζον λέγοντες* et III 7 *ἤρχετο τοιάδε λέγων*.

Praeterea plerumque quidem verbum *ἀποκρίνεσθαι* usurpatur — 7 lens —, uno loco Herodotea vox *ὑποκρίνεσθαι* I 83.

Eundemque Herodotum respicere videtur X 15, ubi oratio obliqua in directam transit: additur enim hoc loco ad vocem *ἔφασαν* participium *λέγοντες*, quem usum amabat ipse Herodotus.

Accedit autem vulgaris sermonis auctoritas: et quidem haec auctoritas tribus ex rebus elucet.

τὰς παραινέσεις σκηψάμενοι ⟨Τί οὖν⟩ ἔφασαν ⟨οὐκ αὐτὸς ἡγεμὼν γίνῃ . . .; similiter res se habet X 52; XI 40. Iam vero quaeritur, unde explicetur hic usus. Usumne fortasse illum respexit Dionysius, quo apud Herodotum in solo transitu vel similibus locis vox *ἔφη* interponebatur? Sed hanc imitationem non tribuendam esse puto Dionysio. Immo vera causa haec mihi esse videtur: plenior vox est *ἔφησεν*: ergo illic aptissime usurpabatur, ubi nova aliqua oratio initium cepit, quae seiungenda erat a narratione: verbum *ἔφη* vero ceteris exhibebatur locis.

Habemus praeterea, quod probet illam librorum separationem, de qua supra dixi. Legitur enim verbum *λέγει* 19 lens in sex primis libris, contra quinquies tantum in postremis. Constat vero ex Novo Testamento similibusque scriptis hoc, ad vulgarem sermonem verbum *λέγει* magis pertinere quam ad atticum. Accedit quod vulgaris ille usus, quo verbum subiecto, obiecto, similibus verbis anteponitur: *καὶ λέγει ὁ — πρὸς τὸν* — cf. p. 78, in primis tantum invenitur libris.

1) Hoc non ita mirum videri potest: nam non una in re omnem artem excultam Dionysius neglexit. Hoc illinc apparet, quod omnes fere novas insolitasque locutiones statim iterare solet Dionysius cf. XI 19—29; VII 39—47; IV 9—10; VI 59—71; I 58 etc.

Digitized by Google

Primum ex hac re, quod additur nonnunquam participium λέγων ad vocem ἔφη eis locis, ubi haec ipsa vox ἔφη orationi anteposita est cf. VIII 13 . . . ἔφη δ' οὖν λέγων ⟨ . . .⟩. Saepe enim legimus hanc vel similem loquendi formam in Veteris Testamenti libris cf. εἶπε λέγων Gen. VIII 15; IX 8; XVII 17; XXIII 3; Iosuae I 1; II 3; 4; IV 1; 15; adde Evang. Luc. VII 39; XV 3; XX 2 etc.

Deinde annectitur nonnunquam in ipso dialogo ad sermonis finem sequentis sermonis inductio, nec tamen ulla particula interponitur vel καὶ vel δέ nec inductionis verbum ita collocatur, ut proxime sequatur ipsius orationis exordium, sed subiectum intericitur prius atque obiectum sicut III 15 λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Φουρέττιος; IV 31; VII 10: idem extra dialogum accidit I 58; V 54; III 23; accedunt illi loci, quibus obiectum solum, quod est πρὸς αὐτὸν, verbo adhaeret I 81; III 13; IV 61 .... Qualia saepissime inveniuntur in ipso quoque vulgari sermone sicut Evang. Ioh. I 49; II 4, 5, 7 etc.

Accedit tertium idque minus grave est, quod uno illo loco[1]), ubi interrogandi aliquo verbo Dionysius utitur, verbum adhibetur ἐρωτᾶν VII 10.

Iam si haec omnia, quae de Dionysio disserui, paucis complector, summa haec fere est: variatur verborum delectus, variantur dicendi fontes: itaque genus aliquod dicendi Dionysius exhibet, quod etiam magis quam Diodori sermo ab attico usu remotum videtur.

---

1) Num pertineat hoc, quod omnia fere interrogandi verba exstirpata sunt, ad Latinorum sermonem, ubi rarissime tantum huiusmodi verba admittuntur, pro certo indicare non audeo. Certe cum Latinorum sermone in ea quoque re Dinoysius consentit, quod nunquam ea verba usurpat, quae vocem orantis describunt: talia enim verba ut βοᾶν nunquam fere in Latinorum oratione soluta leguntur: nisi quod ex poesi in prosam orationem irrepere talia incipiunt inde a Livio. Nunquam vero huiusmodi verba Cato, Cicero, Caesar, Cornelius Nepos, Salustius habent; uno loco Varro de re rustic. I 69, 2 verbum exhibet quod est „clamare“: attamen hoc Graecorum auctoritati tribuendum esse puto.

Digitized by Google

Nec tamen quiescit Atticorum auctoritas. In maius enim aucta est in Dionysio verborum interpositio, quae attica fuit. Cuius ipsius libidinis novum gradum Plutarchus praebet in vocis *εἶπεν* liberiore usu.

Usque ad Plutarchum enim plerumque quidem anteposita erat orationi vox *εἶπεν*. Nec omnibus locis interponere eam licebat. Nunquam enim eis locis verbum *εἶπεν* interponebatur, quibus obliqua oratio in directam transiit, nunquam eis, quibus inductio iterabatur: immo his locis semper verbum *ἔφη* legebatur. Hoc iam in Plutarcho mutatum est: nam quinquies tantum in Phocione, quater in Alexandro [1]) anteponitur orationi verbum *εἶπεν*: interponitur vero 31 iens in Phocione, 26 iens in Alexandro. Nec manent ceteri huius vocis termini.

Primum usitatior vox est *εἶπεν*: nam exhibetur *ἔφη* vicies tantum in Phocione, sedecies in Alexandro.

Porro verbum *εἶπεν* non modo in omnes illos se intulit locos, qui vocis *ἔφη* semper proprii fuerant, sed etiam frequentius quam *ἔφη* his ipsis locis usurpatur; nisi quod paulo frequentius in transitu verbum *ἔφη* invenitur: in Alexandro c. 22 et 40; *εἶπεν* semel tantum Phoc. c. 24. Contra inductionem iterat vox *εἶπεν* bis: Phoc. 17, Alex. 40, vox *ἔφη* semel tantum Phoc. 18; inductionem duplicat *εἶπεν* Phoc. 30, *ἔφη* nunquam omnino.

Praeterea sexies in ipso dialogo vox *εἶπεν* interponitur, duobus tantum locis *ἔφη* [2]).

---

1) Duo tantum scripta ex Plutarchi vitis perlegi: Alexandrum et Phocionem.

2) Ab his dicendi normis non ita multum discedere videntur dialogi Plutarchi, quantum equidem perspicere possum ex Convivio, quod solum perlegi.

Scilicet dialogorum atticorum exemplum secutus frequentius hic quam in vitis Plutarchus verbum *ἔφη* usurpat: 75 iens; contra *εἶπεν* 46 locis.

Attamen eadem licentia, qua in vitis, in Convivio quoque hoc verbum *εἶπεν* exhibetur: anteponitur enim orationi sexies tantum; porro iterat inductionem 157 B, 163 E, in transitu legitur 157 E.

Digitized by Google

Una tantum forma priscam servat verborum *εἶπεν* et *ἔφη* distinctionem, praeterea nulla. Infinitivi formam dico. Severe enim sic distinguuntur infinitivi formae *εἰπεῖν* et *φάναι*, ut semper anteponatur orationi *εἰπεῖν* — quater in Alexandro, quater in Phocione —, interponatur *φάναι* — bis: quinquies.

Sic ad maiorem dicendi licentiam Plutarchus procedit nec tamen neglegit Atticorum auctoritatem.

Cuius simile quid ex alia re apparet. Iam in Xenophonte nonnulli exstiterunt loci, quibus orationes directae genetivo aliquo absoluto sic inducebantur, ut penderet hic genetivus absolutus a proximae orationis inductione cf. p. 47. Sequebatur eum Diodorus: cf. p. 67. Attamen agebatur in Xenophonte et Diodoro de perpaucis locis. Nunc in Plutarcho ita aucti apparent et paene cumulati, ut non modo interrogandi verba sic usurpentur ut *πυθομένου* Phoc. 29, sed etiam participium *εἰπόντος* Phoc. 6 ^iens^, Alex. bis: cf. Alex. 29 *καὶ Παρμενίωνος εἰπόντος ⟨Ἐγὼ μὲν, εἰ Ἀλέξανδρος ἤμην, ἔλαβον ἂν ταῦτα⟩ ⟨Κἀγώ, νὴ Δί',⟩ εἶπεν ὁ Ἀλέξανδρος ⟨εἰ Παρμενίων⟩ . . . .*: item *φήσαντος* Alex. 58. Accedunt alii multi loci, ubi non ad inductionem aliquam, sed ad aliud narrationis verbum participium annectitur: cf. Alex. 54: *Δημητρίου δὲ . . . εἰπόντος ⟨Μὴ φιλήσῃς· οὗτος γάρ σε μόνος οὐ προσκεκύνηκε⟩ διακλῖναι τὸ φίλημα τὸν Ἀλέξανδρον . . . .*; similiter legitur *ἀποκριναμένου* Alex. 34; *εἰπών* Alex. 9; 20; 31; *φήσας* Alex.

Accedit hoc, quod ad ipsum inversionis usum admittitur *εἶπεν* 158 C

Porro illud notabile habet Convivii sermo, quod sola haec verba admittuntur: *ἔφη, εἶπεν, ἔφησεν* — 152 A —, participium *εἰπών* quod praeponitur 150 E, interponitur 149 D; 149 F. Nullae praeterea exhibentur voces, nisi quod ad eos sermones inducendos, qui ipsius dialogi orationibus inseruntur, haec verba usurpantur: *ἀπεκρίνατο* 147 B; *ἠνίξατο* 150 F; *φράσαντι τὸν χρησμὸν* 152 C.

Unde attici dialogi auctoritas manifesto elucet. Eadem vero auctoritas inde quoque apparet, quod separatur quidem in ipso dialogo 17 locis inductionis verbum a suo subiecto, plerumque vero subiectum una cum verbo interponitur — 22 ^iens^.

Digitized by Google

68. Accedunt illi quoque loci, quibus dependet verbum inducens a particula ὡς: ὡς ἠρώτησε Phoc. 23; ὡς — ἔφη Alex. 30. Hanc chriarum formam tralaticiam Stoici maxime vetustiores excoluerant[1]): inde accepit Plutarchus. Profecta est a Xenophonte.

Itaque in maius augentur ea, quae ipsi Attici aggressi erant.

Nec tamen omnes inductiones apud Plutarchum ad Atticos respiciunt. Valet vulgaris quoque sermo: nam et frequentat prae omnibus ceteris verbis εἶπεν et ubi interrogatur sola usurpantur ἐρωτᾶν et πυθέσθαι, nunquam ἐρέσθαι.

Porro illa verba denuo magis variantur et frequentantur, quae vocem describunt vociferantis, cf. ἀνεβόησεν Alex. 52; ἐβόα Phoc. 19; ἐπεύξατο Alex. 30; ἀνέκραγε Phoc. 10; ὑπεφώνησε ibid. 35.

In quibus aperte Plutarchi sermo atticam fugit simplicitatem.

Sed pedem hic sisto. Multa promisi, pauca tantum adhuc effeci. Attamen non sufficit hic locus, ut plura disseram. Itaque publicandas in posterum sepono eas inquisitiones, quas mecum ad finem iam perduxi. Pertinent autem eae et ad fabulas graecas romanenses et ad Maccabaeorum libros, Evangelia cum Actis, Hermae Pastorem et Pseudo-Callisthenem et ad latini sermonis artificia, quae inde a Plauto usque ad historiam Apollonii regis Tyri non semper sibi constitisse, sed mutata esse pro litterarum genere saeculorumque labentium ingenio non mirabitur is qui quod de Graecis docuimus percensuerit.

1) cf. exempla eorum apud Diog. Laert.

Digitized by Google

Tabula I

	Anabasis	Cyro-	Hellenica	Hiero	Con-	Memo-	Oeco-
ἠρώτα, ἐπηρώτα	5 : —	5 : 3	1 : —	—	—	—	—
ἀπεκρίνατο	11 : 1	19 : 4	7 : 2	—	1 : —	1 : 1	4 : 4
ἤρξατο	4 : —	8 : 5	2 : —	—	1 : 1	1 : —	—
alia verba	6 : —	15 : 4	3 : —	—	1 : —	8 : 6	1 : 1

1) Tales dico locos sicut Plat. Parm. 135 B ⟨*Συγχωρῶ σοι*⟩, *ἔφη*, ⟨*ὦ Παρμενίδη*⟩, *ὁ Σωκράτης* ⟨ . . . De hoc usu accuratius postea loquar.

2) i. e. eis locis, quibus obliqua oratio in directam transit.

3) Cf. de hoc usu p. 42.

4) Cf. p. 40.

5) Cf. p. 40.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tabula I

	Anabasis	Cyro-	Hellenica	Hiero	Con-	Memo-	Oeco-
ἠρώτα, ἐπηρώτα	5 : —	5 : 8	1 : —	—	—	—	—
ἀπεκρίνατο	11 : 1	19 : 4	7 : 2	—	1 : —	1 : 1	4 : 4
ἤρξατο	4 : —	8 : 5	2 : —	—	1 : 1	1 : —	—
alia verba	6 : —	15 : 4	3 : —	—	1 : —	8 : 6	1 : 1

1) Tales dico locos sicut Plat. Parm. 135 B ⟨*Συγχωρῶ σοι*⟩, *ἔφη*, ⟨*ὦ Παρμενίδη*⟩, *ὁ Σωκράτης* ⟨ . . . De hoc usu accuratius postea loquar.

2) i. e. eis locis, quibus obliqua oratio in directam transit.

3) Cf. de hoc usu p. 42.

4) Cf. p. 40.

5) Cf. p. 40.

Digitized by Google

Digitized by Google

in dialogo solum exhibetur	59	70	47	96	58	76	23	—

Digitized by Google

Digitized by Google

in dialogo solum exhibetur	59	70	47	96	58	76	23	—

Digitized by Google

Digitized by Google

CORRIGENDUM.

P. 31 adn. 1 v. 2 „qoesis“ in „poesis“; ibid. v. 3 „dueplicis“ in „duplicis“.

Digitized by Google

VITA.

Natus sum Aemilius Buennings in oppido Elberfeld anno 1879 die XXVI mens. Febr. patre Petro matre Aemilia de gente Benninghoven, quibus superstitibus adhuc gaudeo. Fidei addictus sum Calvini. Ineunte anno 1888 in gymnasium civicum Elberfeldiense, quod Ludovico Scheibe directore adhuc floret, receptus per novem annos bonis litteris instructus sum. Contigit autem feliciter, ut per duos annos Ludovico Martens uterer magistro, qui ad veteres scriptores diligenter tractandos inprimis animum meum excitavit. Dimissus cum testimonio maturitatis vere anni 1897 Marpurgum me contuli studiis philologis operam daturus: ibi per bis sex menses moratus sum. Deinde unum semestre Argentorati, unum Bonnae commoratus Marpurgum rursus migravi. Vere anni 1901 domum redii, ut hoc opusculum conficerem.

Proseminarii exercitationibus philologi ut interessem benigne permiserunt Maass, Birt, Usener, Thiele. Ut in seminarium philologicum reciperer eiusque per ter sex menses secretarius essem, Birtii et Maassii beneficio est factum. Exercitationibus suis me admiserunt philologis Birt, Coerte, Judeich, Thiele, historicis Niese, archaeologicis Loeschcke, de Sybel, philosophicis Cohen.

Quibus viris omnibus gratias ago maximas. Inprimis vero Theodoro Birt, qui in conscribendo hoc opusculo adiutorem semper se praestitit, gratissimum animum me servaturum esse spondeo.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THIS BOOK IS DUE ON THE LAST DATE
STAMPED BELOW

AN INITIAL FINE OF 25 CENTS
WILL BE ASSESSED FOR FAILURE TO RETURN THIS BOOK ON THE DATE DUE. THE PENALTY WILL INCREASE TO 50 CENTS ON THE FOURTH DAY AND TO $1.00 ON THE SEVENTH DAY OVERDUE.

OCT 15 1936

Oct 16 '36

MAR 14 1975

REC. CIR. FEB 1 9 '75

[illegible] 29 '77

LD 21-100m-8,'34

Digitized by Google

Bruennings, E. B928
Quomodo inducantur orationes directae in antiquorum orationes soluta.
Oct 16 36 Cambellaud OCT 20 1936
149082
THE UNIVER ARY
YC 00181



Digitized by Google

Digitized by Google